3

AMICO-CRITICÆ
MONITIONIS
LITVRA
FRANCO-GALLI CALAMO DVCTA.

PARISIIS.

M. DC. XLV.

LECTVROS.

ÆQVI, boníque arbiter; æqui, bonique consulas quæ præmoneo. Vera & seria non fucantur. mendacij, & ludicrorum pigmenta sint. Apertum & facilem; sed plenum, & grauem amplector stilum. Rusticum sperno, meretricium detestor. Laxior animos non mouet. Strictior; qualis est qui hodie nomen eruditionis ab obscuritate captat, Lectorem torquet. Medium dicendi genus sequãtur necesse est, qui non scholis, sed mundo Latino scribunt, in quo plures Ciceronem, pauci Tacitum capiunt. A multis intelligi volui, à sapientibus probari, sed à solo qui nos lacessiuit sentiri; nam & nonnulli è Sanctis Patribus in hostes publicos strinxerunt acutiorem calamum. Non leuiter pungi debuit, qui Regum Christianissimorum gloriam, Regni Gallici securitates omnes, & vniuersæ gentis nostræ decora, non

ſolùm perſtringit, ſed percellit, & propulſat. His peſſimis artibus pacem, quam reuocare poſtliminio cupimus, in perpetuum eliminare contendit. Vale.



AMICO-CRITICAE MONITIONIS LITVRA

FRANCO-GALLI CALAMO DVCTA.

NONDVM ſe à veteribus expedierant bellis, cùm nouis ſe implicuerunt aduerſarij Galliæ; dum illam in ipſo pacis conuentu ſtrictis aggreſſi ſunt calamis. Sic qui Palladem iniquam hactenus experti ſunt, Mineruam inuocarunt mox iniquiorem futuram. Quaſi præludere animus eſſet; antequam ſeriò rem agant, immittunt quem obuium habuere, non triarium, ſed velitem: eum ſcilicèt qui ductor aliàs infœlicis expeditionis in Burgundia, modò infœliciùs arte, quàm olim Marte pugnauit. Hic ſuperbo titulo Amico-criticæ Monitionis meras nugas veſtit; cùm nec amicus, nec criticus, nec monitor ſit qui opus ſic inſcripſit. Quomodo enim amicus, qui hoſtis? Quomodo criticus, qui bonarum litterarum expers? Quomodo Monitor, qui inſidiarum ſtructor? Potius certè ſcurram agit, & ineptum, inſulſumque morionem, qui res graues inuertit in friuolas, & primis alphabeti ludit elementis.

in politicis. Infantem crederes, nisi quinquagenarium ex me scires. Trasonem scenicum putares, nisi Catholici Regis Catholicum actorem in illustri Senatu intelligeres. Hypocratis vinculis arctandum existimares, nisi grauissimæ Legationi assessorem datum audires. Nemo profectò non mirabitur effrenem procacitatem cum amentia planè stolida coniunctam in illo, qui omnes omnium temporum calumniatores, in comminiscendis mendaciis, non ingenio; sed audacia superauit.

Occasio illi fuit scribendi libellum Epistola breuis; quia epistola: modesta; quia virorum grauium. Prodierat hæc à Legatis Gallicis ad proceres, qui ad comitia Imperij conuenerant Francofurti. Hi verbis nemini prorsus iniuriis; imò certè vrbanis inuitabantur ad conuentum indictum Monasterij; vbi beatæ pacis leges proponi, discuti, & concludi debebant. Aberat ab Epistola, in Cæsarem, & in Regem Hispaniæ contumelia, quæ reuocandæ pacis studium non saperet: sed quia Galliæ inserta fuit aliqua commendatio, hoc bilem conciuit homini limphatico, qui tota viscera sua concussit; vt venenum, quod à multis annis conceperat, nec fortè sine sua pernicie continuerat, in Galliæ si posset pestem effunderet, & temporum nostrorum omnem inuidiam in nomen Gallicum transferret. Epistolam verò in qua nihil reperias, quod ratio carpat, vix attingit maledicentia. Hæc ne se circumscribat campum

ſubit apertum; vt excurrat in ſcommata, ſed nugatoria; in mendacia, ſed craſſa; in iniurias, ſed turpes, quibus animi ſui morbum, & calami petulantiam aperiat. Porro ſi cogitationes attendis, pueriles deteges: ſi ordinem, ſubſultorium iudicabis, & ſalebroſum, ſi ſtilum, non ſemper eodem filo contextum, & verbis humilibus res paruas concinnantem deridebis; cùm tamen aliquando floſculos, hinc inde tironum more decerpat. Vnde fit; vt malè cohærentibus dicendi modis, ibi dehiſcentibus, alibi cadentibus, alicubi barbaris, vbique motæ mentis ſimulachris, nihil prodat niſi obtrectandi iniquitatem. Sed in his immorari non libet; nec enim voces captamus, quas etiam incomptas, & aſperas ferre animus eſſet, ſi nobis res, aut veras, aut iucundas exponerent.

Quis verò ferat loquaculum rabulam, qui vno verbulo pulſatus inſtar Dodoneorum lebetum ſemel ictus leuiore bacillo, templum ita replet ingratis tinnitibus; vt ſacra bonæ deæ paci facientibus aures obtundat; aut tanquam echo multiplex, vocem ſemel emiſſam decies remittat. Certè ſi hunc hominem audiſſet Theocritus; exclamaſſet illico: incipit verborum flumen, ſed mentis gutta. *Theocritus de Anaximene.* Vbi enim iſta eſt, quæ rem grauem in ludicram ducens, dialogiſmum inter alphabeti litteras cōminiſcitur, & conſonantes, dum illis vocem tribuit vôcales facit, elementarius ſenex. Opus planè ſpernendū vt obſoleſceret, niſi inſoleſceret auctor, qui grauitatis, & modeſtiæ noſtræ ſilentium,

tium, aut admirationis, aut ſtuporis eſſe à paraſitis quos ad menſam modò lautiorem adhibet, ſibi perſuaderi pateretur. Nec veremur ne pronas aliquorũ aures ad nugas ſuas excipiendas inueniat: ſed Chriſtiano ſtudio compeſcendum eſſe iudicamus, ne quid tale moliatur in poſterum; vbi in noſtra reſponſione tanquam in ſpeculo conſpexerit, genij ſui, à natura, gratiiſque contempti portentoſam imaginem.

In præfatiuncula ſua ſpondere videbatur monitor examen Epiſtolæ, cùm in hæc verba commotus erupit. *Ignoſcant Excellentiæ veſtræ, ſi tam ingenuè ipſis referam, quod video, quod ſentio, quod experior: vbi enim agitur de curatione morbi acuti (qualis iſte eſt) minimè ſunt illius ſymptomata reticenda.* Non hærebo in congeſtis tribus verbis, video, ſentio, experior: quaſi reipublicæ multum intereſſet, quid videat cæcus, quid ſentiat putidus, quid experiatur inſanus.

Sed obtuſum morborum acutorum medicum rideamus. Certè febris illum tenet, quæ cum horrore, & totius corporis quaſſatione mentem alienat, & cùm minimè reticenda putet Epiſtolæ ſanæ ſymptomata, furioſæ reſponſionis paroxyſmos non ſentiens, periculoſiùs ipſe laborat. Dicat veteris ægroti patiens inſomnia ſe *obſeruaſſe cautè, quæcumque circa materiam, formam, & ſtilum earundem litterarum publicè & priuatim ceu à ſuis, ceu ab aliis dicebantur.* Diligentem ſanè obſeruatorem nacti ſumus, qui in materia, forma, & ſtilo

lit-

litterarũ, dicendi modum vnum, aut alterum duntaxat perſtrinxit: cæteris innumeris prætermiſſis, quæ publicè & priuatim, à ſe, à ſuis, ab exteris animaduerſa, ipſe ſolus recepit in ordinem redigenda. Quotuſquiſque eſt qui his verbis perlectis non expectaſſet ab iſto morborum acutorum medico, Epiſtolæ minutatim conciſam anatomem, vſque ad capillarium fibrarum inſpectionem: ſed theatralem empyricum vel ex eo credas; quòd eorum ad quæ fidem obſtringit, nihil exoluit.

Exclamat amens in Epiſtolæ inſcriptionem; cùm ea ſit præfixa qualem ipſemet poſtulat, & præfinit. nam iuxta Imperij formulam Reuerendiſſimi, Sereniſſimi, & Celſiſſimi principes nuncupantur comitiorum proceres: ſiue ij ſint electores, ſiue alij principes, qui inter Imperij membra cenſentur. Quod enim primum, & volatile litterarum inuolucrum Gallicis verbis, Epiſtolæ Latinè conſcriptæ præferebat, non eſſe ſuperſcriptionem facilè ſedatis animis perſuaſiſſet ratio: cùm & alia lingua, & planè diuerſis ab interiori Epiſtolæ inſcriptione ſit verbis conceptum. Quis ergo niſi ab ira, vel inuidia corruptus iudex ſtatuet, damnandos ruſticitatis vrbanos Gallos, & imprudentiæ cautos Legatos; quaſi viros principes quos demereri ſatagebant, aut conſultò, aut inconſultò infenſos ſibi, aut cauſæ ſuæ facere vellent, eorum dignitatibus, & in Germania ſacroſanctis titulis detrahendo.

Inuolucri exterioris inſcriptio *à Meſſieurs Meſſieurs.* Interioris, Reuerendiſſimis, Sereniſſimis, Celſiſſimis.

Vt verò à duobus legatis Gallicis in omnes Gallos effundatur iniuria. *Gentem ait nostram in suis Epistolis, vt in vestibus varietatem, & multiuagam inconstantiam sectari.* Certè aliàs didicimus in Epistolis varietatem non esse iniucundam: sed aliquis sanæ mentis, & mediocriter Latinus in eas cadere propriè multiuagam inconstantiam non scribet; cùm Epistolarum non sit magis inconstantia quàm impatientia, vel instabilitas: sed à verbis nos res euocant.

Quid tu leuitatis Gallos in vestitu sugillas, & instar momi, nihil in formosa Venere quod offendat præter streperum cothurnum deprehendis. At tu censor nec hactenus à Gallico vestitu, nec à Gallicis ingeniis, addam nec à Gallicis abhorrebas consiliis. An despicis quod in te suscipis, & in vxore suspicis. Audes maledicendi libidine Gallorum mores eleuare, ad quos aliàs te componere credebas gloriosum.

Nunc ad duo quæ in Legatorum Epistola tibi stomachum mouerunt descendamus: descendamus inquam; quia ita deiectus es, vt me pudeat cum prostrato, & vinci parato congredi. Deum, & homines obtestor, me nullam tecum instituere quæstionem: cùm extra illam sint sua dignitate quæ tu improbas, sua verò indignitate quæ frustra probare contendis.

Certè abiectissimus es, & mortalium minimus: cùm in maximi epithetum Regi nostro à Legatis suis affixum explicatis insurgis vnguibus. *Ais non*

conuenire infanti : hîc tu monendus es Monitor; maximas quidem ſpes ſuſtinere Regis noſtri præclaram indolem, & ſeriam infantiam ; nondum tamen ſcribimus ab egregiiſ facinoribus maximum nuncupari ; ſed explodetur meritò quiſquis dixerit, non poſſe maximi nomen ei principi tribui, qui in Gallos obtinet imperium. Nec tu quamuis infeſtus nobis videaris, dubitas ; quin ſit Galliæ regnum maximum, iis omnibus quæ regnum maximum efficiunt. Nempè Prouinciarum amplitudine, ſitu in Europæ meditullio, vtroque mari alluente, pluſquam centum magnis fluminibus naues patientibus, vbertate ſoli, ad ſuorum copiam, ad vicinorum inopiam. Sed præcipuè Galliam erigunt in maximam ; veræ cultus relligionis, robur bellicum, aulicus apparatus, principum virorum ſplendor, Senatus maieſtas, nobilium numerus, ciuitatum, imprimis mundi Pariſienſis opes, vrbium oppidorúmque frequentia, & propemodum infinitæ plebis multitudo : cùm in ſacris litteris ex hoc vltimo ſit potiſſimum penſanda dignitas Regis. Ita vt mirum ſit illos qui ex tanti regni fœcunditate compendia mille trahunt, vel qui magno ſuo diſpendio, in Germania, Hiſpania, Italia, & Belgio eodem tempore ſentiunt poteſtatem, à Galliæ Regibus velle maximorum Regum epithetum remouere. In multitudine populi dignitas Regis. *Prouerb.* 14.

Nos qui æquiores, & pacis amantes ſumus, maximorum principum nomen, & Imperatori & Regi Catholico, non ſolùm ob ditiones quas

obtinent maximas vltrò concedimus; ſed etiam ob dignas maioribus imperiis (ſine noſtri tamen imminutione) præclaras animi dotes. Cùm enim Iunior Plinius aſſerat Deũ priùs optimi, deinde maximi nomine cenſeri; quidni eos quos optimos principes nouimus, etiam maximos nuncupemus?

Plinius Iunior in Paneg. Traiani.

Interim dum ex virtutibus, & geſtis hunc ſibi titulum Rex noſter infans vendicabit; ſi non patitur vt maximi Regni Dominus, maximi nomen ferat, diſrumpatur inuidia. Nec improbamus quod Cæſari, & Regi Hiſpaniæ Dominis ſuis propenſiùs faueat Monitor: dum à contumeliis in Regem Chriſtianiſſimum abſtineat. Expediret certè; vt facinus quod fortè prohibere non potuerunt Germani iam vindicarent admiſſum; ne alicuius in nos maleuolentiæ ſuſpicionem incurrerent.

Non omittam; in eo totam vecordiam ſuam prodidiſſe ſcriptorem, cùm ait: *Nonniſi magnos dictos fuiſſe Carolum primum, & Othonem primum Imperatores; eum verò qui Maximus* (nomine ſcilicèt, non epitheto, quod non diſtinxit Criticus) *eſt appellatus in Chriſtianos ſæuiiſſe:* adiungit & Valerium Maximum, quem ex Hiſtorico erexit in Cæſarem, tam familiaris illi cum litteris humanioribus fuit conſuetudo. Profectò ſi Dictionarium Hiſtoricum conſuluiſſet; plures vel ſanctos, vel doctos, vel principes maximorum nominibus reperire potuit. Sed hoc non licuit homini, qui vno impetu libellum effudit: vel in aliquo

hypocausto Monasteriensi satur euomuit. Sapienter more suo Seneca. *Nulla res festinata esse potest, simul & examinata, nec quod gratiam habeat celeritatis, & laudem diligentiæ*: A Monitore si sobrius esset libenter sciscitarer: vtrum assentatorem veriùs oleat, & maiorem cæteris principibus irroget iniuriam, Regem Christianissimum nuncupare maximum, an Regem Catholicum inscribere, Regum maximum. Certè nisi Regis Catholici modestia reiiceret superbum nomen, ipsi ab aliquot scriptoribus affixum; Reges cæteros non sine aliqua contumelia infra se collocaret: qui verò se dici patitur maximum, nec omnium, nec Regum attexens; alios ab eodem epitheto non excludit: nec admittit nostra moderatio Matthæi Paris Angli Historici elogium, in quo Regem Galliæ *Regem Regum*, non est veritus appellare; cùm à Christi Domini singularibus titulis, vt à re sacra non abstinere irreligiosum censeamus.

Seneca.

Carolus Scribanius sic inscripsit Epistolam dedicatoriam Politico Christiani Philippo IV. Regum maximo. idem à multis aliis Hispanis præstitum.

Matthæus Paris in Henrico III. Angliæ Rege.

Si perculsus vnico verbulo Monitor efferbuit, mirum certè non erit si ad sententiam integram excandescens, vehementior insurgat. Ex tota Epistola vnam hanc excerpit lineam, lepidus criminator: *grauior quidem consultatio nulla est, quàm cùm de statu & fortunis agitur; sed nulla breuior.* Hîc Criticus *rithmum* asserit esse, sine sensu: sic enim rithmum crassa Minerua figuram vocat, quam Latini similiter desinentem, Græci Omioteleuton appellant. Porro quàm venusta illa sit,

frequens Ciceronis vſus ſatis oſtendit; honeſtam verò eſſe Stoïci Senecæ comprobat authoritas: vix enim vlla ei magis familiaris: In ſenſu verò quid carpendum occurrat non video. An grauior aliqua conſultatio eſſe poteſt ea, in qua de Chriſtiani orbis otio reuocando deliberandum eſt: id porro contingit dum ad pacis agitanda conſilia, ij quorum intereſt inuitantur. Quis verò non videat præſcindendum eſſe omnem protelationem: ne dum ambæ partes diſſimulando expectant, donec aduerſæ dolendum aliquid contingat, rerum mutatio repentina concordiæ ſtudia, in grauioris diſſidij occaſionem conuertat. In quo profectò Galli ſe pacis amantes probant: non quòd vereantur ne fortuna belli congeſtam multis annis gloriam vno momento effundat: ſed ne ſuſpicionem incurrant; quòd rebus ſuis florentibus velint de induſtria diem de die ducere, vt ſic belli producti in illis tota culpa reſideat. Hinc conſtat grauiorem pacis conſultationem prudenter à diligentia fieri breuiorem; quia ſemper in mora eſt periculum, cùm bella nonniſi per pericula gerantur, à quibus immunes non ſunt etiam vicini, qui ſpectatores ſedent otioſi.

Vbi Monitor ſorex palatij Burgundici, extremos Epiſtolæ corroſit limbos: nunc in hanc nunc in illam partem ſubſiliens, obuia quæque venenatis ſpumis illinit: planè ridiculus muſculus, omnia ſcruta ſcrutatur, omnes rimas rimatur; nihil ſacrum intactum relinquit eorum, quæ alij

Gallici nominis hostes acriores, sed verecundiores non attigerunt. Quis non miretur audaciam? tantillus tanti Regni quale Gallicum est, adamantina fundamenta Dei præpotentis manu iacta, & à mille ducentis annis coagmentata, conuellere nititur. Fortassis audiit in Hispania quondam vrbes euersas cuniculorum cuniculis; quidni inquiet subruantur, & à muribus muri, & regna? Sed quàm alto, & firmo solo sedeat Gallicum, cui cœlum imperium sine fine dedit, aut scire noluit, aut nescire se simulauit solus Criticus. Is quod ante ipsum nemo vel insanus in animum induxit suum, typis committere non veretur. *Regnum Galliæ Imperio Germanico ita subiici; vt quasi perduellionis reo fuerit aliàs à comitiis Imperij dicta dies Francisco primo, ibique per procuratores expressos comparuerit; vt sese ab inita cum Mahometanis confœderatione excusaret.* Certè apud nos nullius bilem, omnium verò cachinnos conciuit Monitor: apud paucos pinguis ignorantiæ, apud multos profligatæ nequitiæ famam consequutus. Si hæc quæ mundo exponit sibi somnia finxit, delirauit. Si ad stuporem credulus rem ab alio confictam auidus hausit, & indigestam egessit; æterna notandus infamia qui tam malè nomini suo consuluit, magnæ, sanctæque Legationis paruus, & prauus consiliarius. Quantæ rogo illum, vel inscitiæ, vel imprudentiç circumfuderunt offuciæ, qui rem tantam nec vt se, nec vt alios confirmaret, alicuius voluit auctoritate munire; cùm nullam

adhuc apud nos ipſe fidem obtinuiſſet. Equidem

Ego illum periiſſe puto, cui periit pudor.

Quia mihi verendum non eſt, ne cuiquam obrepat Monitoris ſententia; in ea refellenda, & conuincenda non laborabo. Si quid ergo in contrarium dixero, non refutantis ingenio in quæſtionem aliquid adducam; ſed maledicta diluam; nec controuerſiam agitabo; ſed remouebo contumeliam. Stultum ergo commentum expono; vt cordati, & rerum æqui expenſores intelligant, quò tandem eruperit ſcriptoris maleuolentia cum amentia coniuncta, & quanta laborent rerum, hominúmque inopia, qui tam abſurda à tam inepto patiuntur auctore typis publicis conſignari.

Vbi eſt quæſo litteraturæ vel vmbra in Critico, qui Galliç Regnum antiquius Imperio Germanico, vult ei ſubiici dignitati, quç aliàs ad Gallicum Imperium iam conſtitutum acceſſit; vt primum ſplendorem, & robur ſuum omne ab illo deſumeret. Poſtquam verò Imperium à Galliç Regibus ad principes Germanos eſt tranſlatum, vbi eſt mentio vel minima iuris illius beneficiarij, quod Monitor ratum haberi vult, & orditur à Franciſco primo, quaſi primus feudum ſuum deſeruierit, poſt centum ſupra mille annos ab exordio Regni Gallici. Quamquam nugæ iſtæ non alio affectu quàm commiſerantis proſequendæ ſunt; caſtiganda tamen eſt effrenis calami petulantia.

Is qui libellum ſuum informem, & fœtum

fœ-

fœtidum exclusit in Germania, Germaniam consulere debuit, si Galliam suspectam habebat. Præsto illi esse potuit Ioannes Sleidanus, eorum Euangelista, quos Catholicus homo Criticus noster *Euangelistas* vocat, & *Papistis*, (sic etiam designat Catholicos) anteponit. Certè Sleidanus, si vllus vnquam accuratè in commentarium redegit res Caroli quinti, & Francisci primi; tantúmque Caroli dignitati addidit homo Germanus, quantùm detraxit relligioni Caluinista. Francisco verò nostro nemo dixerit assentari eum, qui vbi occasionem nactus est illi, Gallisque iniquior fuit. Sincerè tamen is refert sub annum 1519. in comitiis Francofurtensibus, vbi agebatur de eligendo Imperatore, orationem ad Electores habitam ab Archiepiscopo Moguntino Imperij Cancellario, qui in hæc verba loquutus. *Ad Gallum quod attinet, legibus nostris, ac iureiurando nos arbitror impediri, quibus cautum est ne decus hoc Imperij transferatur ad exteros: quin autem peregrinus ille sit Princeps nulli dubium esse puto.* Vt certè nulli dubium nisi fortè Monitori, qui vt nugas suas venditet Imperio, illi Gallicum Regnum quàm longè latéque patet beneficiarium facit; quod Imperij magnum decus, magnus reiicit Cancellarius: extremo certè plectendus supplicio, vel saltem loco mouendus, vt reus maiestatis Imperij; quòd ab eius clientela nobilissimum Galliæ Regnum immune pronuntiarit. At fortè Treuirensis Elector sententiæ fauerit Critici; quia Francisci primi votis Imperium

Ioannes Sleidanus lib. 1. fol. 16.

Ioan. Sleidanus lib. 1. fol. 17.

affectantibus accessit. Proferat idem Sleidanus quibus rationibus niteretur Treuirensis; vt conuinceret non esse ab Imperio Franciscum repellendum. *Iam verò si Carolus, quoniam habet ditionis Imperij prouincias ideo creari potest; necesse est vt idem valeat in Francisco.* Hic exclamaret Criticus nos à Treuirensi deseri, nisi ad nos rediret illico, hæc subiungens, *quia & Insubriam, & Regnum Arelatense obtinet, quæ sunt reipublicæ nostræ partes.*

Ex his constat hunc Electorem qui solerter vndique conquisierat omnia quæ sententiæ suæ admouere posset adminicula, nusquam comperisse Galliæ Regnum Imperij beneficium existere; sed Insubriam, quod admittimus, & Regnum Arelatense quod inficiamur. Iam enim ab exortu Regni Gallici Iustinianus Imperator, ius omne quod Imperium obtinebat in Prouinciam tunc Regni Arelatensis partem, transtulerat ad Theodebertum Burgundionum Regem; à quo primùm in Galliarum Regum ditionem sic ea transiit regio; vt nullo iure ad Imperium Germanicum reuerti posset. Quamquam superflua fuerit talis traditio; cùm Theodebertus ereptam Ostrogothis non Imperio Romano Prouinciam iure belli suam fecisset. Quod verò spectat ad eam Allobrogum partem, quæ Delphinatus à nobis nuncupatur; quis nescit nisi fortè Monitor, sic ad Galliæ Regnum non accessisse, sed rediisse; vt omni omnino iure Imperij Henricus quintus Imperator cesserit, eique conditioni principes Imperij postmodum

ſubſcripſerint; ita volente Philippo noſtro Valeſio. Cúmque trecenti iam effluxerint anni, nec vllus vel pro Imperatore, vel pro Imperio interceſſerit, præter iſtum actorem ridiculum; quis ſanæ mentis non videat, id quod de Regno Arelatenſi à Treuirenſi Electore allatum eſt, confictum fuiſſe eo conſilio; vt per Bullam quam vocant auream, non excludi ab Imperio Franciſcum demonſtraret is, qui Carolum excutere volebat. Addam inſtrumentis locupletibus conſtare, conditionibus venditionis Delphinatus hanc inſertam fuiſſe; *nihil illam acceſſionem detracturam ſupremo iuri, aut libertatibus, & immunitatibus, quibus Galliæ Regnum gaudet contra Imperium Germanicum; cui nulla ratione ſubiici dicitur*, conceptis verbis, & à tota Germania receptis. Vt verum fatear ſuperuacaneum id erat; cùm ab antiquo, iuris Gallici, nulla ratione Rodulphi Regis præpoſtera donatione imminuendi Delphinatus extitiſſet. Si verò ad Regni Francorum exordia recurrere libet, quis non quouis ære perennius exactum, exaratúmque ab Agathia, quem poſtea referemus, ſecuræ diuturnitatis noſtri Imperij, in ipſiſmet eius fundamentis, perleget monumentum?

Videndus Froiſſarous lib. 1. c. 13.

Extat etiam inſtrumentum emptionis in Camera Rationum Pariſiis.

Tritemius l. 1. Annaliũ.

Aduerte Monitor, ſi per ingenium licet, non tam Romani Imperij, quàm Gotthorum exuuiis ſuum Francos adornaſſe Imperium. Primi Alani, tùm Gepidæ, poſtea Gotthi, & quotquot à ſancto Hieronymo, & à Saluiano recenſentur populi, molem illam Romanam magnitudine ſua

D. Hieronymus Epiſtola 11. ad Ageruchiam de Monogam.

Saluianus lib. 6. de Gubernatione.

laborantem impulerunt, & variis locis nutantem euerterunt. Franci verò ab antiquis Gallis prognati, auitarum regionum amantes illas Gotthis eripuerunt; cùm iam Imperij Romani dici non possent ab aliis occupatæ.

Quæ ego libentiùs profero; vt mendacij conuincam conclamati pudoris Monitorem, qui eò impudentiæ deuenit; vt asserat, *vel ex eo Suecos esse Gallis anteponendos in contextu orationis; quòd nouerint, qui in Historiis sunt versati, à Gotthis aliquoties deuictos domitosque Gallos, numquam verò Gotthos à Gallis superatos.* O Suecorum ingeniosè captatam gratiam: quasi verò sic illos demereri possis, quos hostes sustinet publicos causa, quam non sustines, sed impellis. Sed vnde hic homo doctrinam hanc temporum hausit, nisi ab aliquo semisopito temulento sit propinata, non saniori cõpotatori. Semper ais ij quos Francos antiqui nuncupant à Gotthis debellati? mirum ergo certè quomodo à Francis Gotthi depulsi ex Galliis, in quibus sedes primi fixerant Gotthi, si nunquam bello superiores fuerunt Franci.

Rogo qui in campis Catalaunicis fuderunt Attilam, nisi Franci? cum Aëtio Romano coniuncti, & qui sub Merouco nostro merebant: inter quos recensentur Leti; Iornandes Litianos vocat, pro quibus Blondus restituit Lutetianos: quàm aptè, vel ineptè expendant acutiores nostro Critico Critici. Qui in agro Vocladensi non longè à Pictauia internecione deleuerunt Alaricum, &

amplissimas ditiones vltra Ligerim fluuium nascenti Imperio Gallico adiecerunt, nisi Franci? Qui in Oxitania profligarunt ad Carcassonam Ostrogothos, & Europæ totius deprædationibus locupletes excusserunt, nisi Franci? Qui ex Hispaniis Gallias irrumpentem Amalaricum repressere, nisi Franci? Qui ex Prouincia eiecerunt Gotthorum relliquias, nisi Franci, sub Theodeberto Franco-burgundionum, & Orientalis Franciæ, id est Austrasiæ Rege? Addam ad corollarium, quis in Italia iunctis Gotthis, & Romanis magnam intulit cladem, nisi idem Theodebertus cum Francis? Hæc docuissent Monitorem Historici Germani, Itali, Hispani; si Gallos suspectos habet: sed à quibus recentiores hæc hauserunt; nisi à Græcis luculentis suorum temporum testibus? Nempe Zozimo ethnico, Procopio, & Agathia Christianis, Iornande Episcopo Gottho, vel Imperatorum, vel Gotthorum Regum scriptoribus: Ita vt mirum sit, nunquam nomen illorum peruenisse ad hominem, qui cùm officium obtinuerit viri non ineruditi; scire aliquid debuit de origine gentis apud quam Magistratum gerebat, & eum Magistratum, cui aliqua etiam litteratorum incumbit censura. Sed quàm grauem ille incurrit, qui non solùm eos quos recensui auctores vult à veris aberrasse in sui temporis Historia; sed sanctissimis veritatis oraculis imponit mendacia: Imprimis sancto Gregorio Turonensi, qui asserit, Clodoueum Francorum Regem pulsis

Vide Chronicum Yuonis Carnotēsis, Aimoinum n de gestis Francorum, lib. 1. c. 21. Michaelem Ritium Neapolitanum lib. 1. de Regibus Francorum.

Zozimus. Procopius. Agathias. Iornandes.

S. Gregor. Turonensis lib. 2. c. 37. Hist. Franc.

Gotthis, Regnum ſuum per totas Gallias dilataſſe. Sed ne ſit proteruus Monitor, ſint præſtigiæ miracula, quæ idem ſanctus Gregorius refert de mœnibus Engoliſmæ à Gotthis occupatæ, in conſpectu Gallici exercitus, non alia vi quàm diuina collapſis: de igne cœleſti in turrim ſancti Hilarij delapſo, vt Gallis tranſeuntibus pharus eſſet. De ſorte quam Deus temperauit, cum Turonibus in Templo ſancti Martini in hos incidit Dauidis verſus, *Præcinxiſti me virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicos meos dediſti mihi dorſum.* Non ſit in tantæ victoriæ gratulationem ab Anaſtaſio Imperatore corona Regia triplex, & in conum aſſurgens Clodoueo tranſmiſſa; nec illa ſancto Petro Romæ oblata, impoſterum Regni nomen ſingulariter retinuerit. Non ſit in ſtrage Vocladenſi manu Clodouei cæſus Alaricus; Nec filij Clodouei Clotildem ſororem, quòd nollet in eius hæreſim, & mores concedere duriùs habitam vlti ſint, Gotthos iis quæ adhuc in Oxitania retinebant euertendo, & illos Pyreneis montibus coërcendo. Ingenioſus, pius, & meritò à multis inter Sanctos relatus Sidonius Apollinaris, qui ad pugnam Vocladenſem ſuos deduxerat Aruernos, fabulas verſu elegantiſſimo concinnarit. Impoſuerit orbi, & ſæculis ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis, & Hiſpanus Epiſcopus in Gallorum commendationem Vrbanum mendacem induerit. In ſuum traxerit errorem gentiles ſuos Franciſcum Tarapham, & Sanctium. A viris relligioſiſſimis decepti

Aimoinus lib. 2. c. 9.

D. Greg. Turon. in Præf. in lib 3. Hiſt. Franc.

Pſalm. 17.

Amalaricus à Childelerto filio Clodou. occiſus.

Sidonius Apollinaris.

Iſidor. in Chronolog. Franc. Tarapha de Reg. Hiſp. Sanctius Hiſpanica Hiſtoria parte 2.

Paulus Diaconus, Blondus, Sigonius, & Sigebertus, Itali, & Germani, Gallorum gratiam mendaciis quæſierint. Inuratur infamia ſempiterna Lazio, qui Imperatorum Ferdinandi & Maximiliani cùm eſſet medicus cubicularius, & Hiſtoricus Cæſareus, ſcribit, à Gallis non ſolùm deuictos in Gallia Gotthos, eóſque Aquitania exactos; ſed Germaniæ magna pârte; imprimis Baioaria, Auſtria, & Belgio. Quas prouincias ſic iuris Gallici factas, per duces (erant hi olim gubernatores) à Gallorum Regibus adminiſtratas fuiſſe aſſeuerat. Denique fuerit Theodoricus Gotthorum in Italia Rex aſſentator Clodouci noſtri; cùm ei reportatas de Alemannis victorias gratulatur. Hæc omnia Gallicæ gloriæ monumenta vna ſpongia Criticus expungat. Suis etiam Burgundionibus ignauiam imponat; vt ſibi deuinciat Suecos falſis, & ineptis laudibus Gotthorum, quos imperitus homo credit è Suecia prodiiſſe cùm Gallias penetrarunt. Quaſi verò gens fortis Suecorum ad ſui commendationem egeat commentis ſcriptoris ignaui, & vſqueadeo ignari; vt neſciat, ex iis regionibus vbi Danubius ſe in mare exonerat prodiiſſe Gotthos, aliquot antè ſæculis ex Suecis, Danis, Dacis, & Noricis oriundos.

Sigonius lib. 16. de Occidentali Imperio.
Blondus dec. 1. lib. 5.
Lazius lib. 8.
Caſſiodorus lib. 2. var. Epiſt. 41. ad Luduinum Franciæ Regem, qui Clodoueus.

Diſcat à nobis faciliori compendio Criticus; quid de Francorum progreſſibus ſcriptis mandarunt auctores probatæ fidei. Ab iis nec Gallis, nec recentibus, intelliget, in lucem prodiiſſe Gallicum Imperium ea cum ingenuitate: vt ab exortu

nulli mortalium, nisi Regi suo obnoxium esset: Refert Agathias, Theodebertum Francorũ vt dixi Orientaliũ Regem, & magni Clodouei domitoris Gotthorum nepotem, ita in Iustinianum Imperatorem exarsisse; quòd se Francicũ & Gallicum diceret, vt conflato centum millium exercitu, iniuriam illam Galliæ Regum supremis iuribus illatam vlcisci ferro flammáque vellet, nec aliam causam susceptæ in Italiam expeditionis prætenderet. Siue ergo Iustinianus Francorum robur pertimesceret; imprimis cohortes illas Gallicas quas Historici nuncuparunt Imperiorum arbitras; siue Regnum à Francis in Galliis bello quæsitum pulsis Gotthis agnosceret pro legitimo, per sanctionem illam celeberrimam quam refert Procopius iuri, si quod obtinebat in Gallias, maximè in Prouinciam renunciauit, *extincto in perpetuum Imperij Romani inter Francos nomine:* Cùm idem Imperator per Bellizarium, Narsetem alióſque Duces Africæ partem, Illyrium, Italiam, & Hispanias intactis Francis Romano vendicasset Imperio.

Agathias lib. 1.

Iustinianus l. 2. C. de veteri iure enucleando.

Procopius l. 2. de bello Gotthico.

Nec tamen eam abdicationem referimus in tabulas; cùm constet nascente Regno Gallico, Reges nostros sine controuersia omnibus summi Imperij insignibus adornatos. Quippe nummos aureos soli, propria non Imperatoris expressos imagine cudebant, quod ne Persarum quidem Regibus fas erat; sedebant etiam Reges nostri in amphitheatro equites, id est in equestri statua, quod solis Imperatoribus licebat. Mira certè quæ

Agathias lib. 1. Procopius lib. 1. & 2.

de-

de initiis tanti Regni recenset Agathias. Imprimis obseruandum, & suspiciendum illud quod ex versione Latina referam, ne Monitorem nostrum sistat contextus Græcus. Audiant qui Francorum decus ægris oculis contuentur. *Iustitia, & charitas vbicumque inter mortales fouentur fœlicem proculdubio rempublicam reddunt, stabilémque, atque adeo mansuram efficiunt, nec facilè iniuriæ opportunam, vt capi ab hostibus queat. Franci ergo cùm optimum ducant id vitæ genus, seipsos imprimis, ac proximos quosque peruincunt, & ex parentibus filij regna suscipiunt.* Fidem adhibeat Criticus Imperatorum Historico qui asserit inter Francos, à parentibus filios regna suscipere: non ergo iure beneficiario ab Imperatoribus, quos non oscitantes modò, sed sopitos, imò extinctos fuisse necesse est vt existimet Monitor; si ad Regni Gallici non modò frequentes ad proximiores transitus; sed ad saltus in extraneos, quod bis contigit, siluit non Imperator modò sed Imperium.

Ergo Bartholo & Alciato perstrictis auri, & dignitatum splendore, Iurisperitis, Cæsari vniuersum orbem adscribentibus, opponamus pro Gallia non minus illustres iuris interpretes Italos, & Hispanos. Inter illos Baldus asserit disertè, *Regem Franciæ in suo regno esse Christi Vicarium*; quod nequaquam esset, si ab Imperatore Vicariam obtineret potestatem; nisi Christi nomen in Cæsarem transferatur. Quid si nobis etiam Hispani suffragantur? In his Petrus Belluga, *qui nec*

Bartholus in l. hostes § de captiuis.

Baldus in C. significantibus de Officio delegati, & in consilio petita venia.

Petrus Belluga in Spe-

culo princi- pum Tit. 44. §. nunc videamus. *iure, nec facto Regem Galliæ quemquam agnoscere superiorem asseueras.* Expendat iustitiæ libra Iurisperitus, & actor regius hæc verba, *nec iure, nec facto.* Oldradus consilio 69. Idem confirmat Oldradus Italus. Si arridet Critico vt accedant Hispanis, & Italis Germani: iterum Lazius li. 3. prodeat Lazius, qui non iuris, sed medicinæ Doctor, familiaris duorum Cæsarum Austriacorum, hæc scriptis mandauit. *A tempore Iustiniani* (id est nascentis Regni Gallici) *à Francis semper Imperatores abstinuerunt.* Ex quibus certè luce clarius est: apud omnes gentes, etiam rebus Gallicis iniquiores perpetuò constitisse; Galliam clientelæ omnis immunitate gaudere ab exordio. Sed claudat agmen qui ducere debuit summus Pontifex, vitæ sanctitate, grauitate morum, & scriptorum auctoritate nulli secundus, sanctus Gregorius meritò D. Gregor. Magnus lib. 6. Epistolarũ Epistola 5. Magnus. Is ad Childebertum nostrum sic scribit: *Quanto cæteros homines Regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna regni tui profectò culmen excellit.* Vnde non immeritò adiudicatum à tanto Pontifice primum inter Christianos Principes locum, Christianissimi Reges sibi vendicant; à quo culmine deciderent, si alicui potestati humanæ subdi contingeret.

At fuit olim Gallia prouincia Romani Imperij, cuius omnia iura vult Monitor Roma Viennam fuisse translata: Cauete nunc Imperij proceres; si eodem iure nunc stat Germanus Imperator, quo Romanus olim, vestrum eligendi genus planè conuellitur. Timeant sibi quotquot vbique terrarum

ſceptra geſtant Reges, vel diademate cingunt tempora Principes, vel ſuis agunt legibus Reſpublicæ: niſi enim Monitor inſanit cum Bartholo, & Alciato præclaris ſycophantis: inter hæreticos cenſendus eſt; quiſquis terrarum orbem cognitum, & incognitum, quantum protenditur cum oceano vniuerſo, non adſcribit Cæſari. Cui ſententiæ non ſubſcripſit vllus Imperator Chriſtianus; imò ſoli Chriſti cruci, non ſuæ aquilæ, inferioris mundi globum, aut vt alij vocant pomum ſubiicientes Cæſares, damnarunt Antonini Pij, Conſtantij, & Iuliani, vulgò apoſtatæ impiam arrogantiam, qui ſe vniuerſæ terræ dominos nuncupari voluerunt. Quid verò de Hiſpania Monitor pronunciabit? An ſapientiſſimo inter Ethnicos, & Hiſpano Senecæ vaticinandi gloriam detrahet; cùm magnæ animæ rectiùs vt ipſe ait colliment, & ſagacitate ingenij ſcopum ſæpiùs attingant. *Tam magni*, inquit, *ruina Imperij in totum diſſiliet orbem; aliqua pars in Ægypto, aliqua in Africa, aliqua in Hiſpania cadet; nec hoc miſeræ reipublicæ continget ſemel ruere.* Certè partem Imperij Romani ſuæ deſtinat Hiſpaniæ Seneca, quam tamen partem ſummo iure ſibi vendicat Hiſpania: quidni ergo & Gallia, etſi nullam illi portionem tribuat Senecæ vaticinium?

Seneca Epiſtola 71.

Sed quàm malè meritus eſt de Imperatoribus Auſtriacis Criticus; dum eos in inuidiam vocat, quaſi omnibus inhient ditionibus, quas olim Imperij Romani fuiſſe nemo inficias ibit. Certè Dei

Manduci, id eſt Critici helluonis diductior hiatus illo, quem Zipæus Belga ſcriptor adſcribit Gallo noſtro. Vniuerſum orbem ſubdere imperio vnius, eſt reddere Cæſari quod ſolius Dei eſt, nempe Dauidicum illud. *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.* Audiat Monitor Proclum dicentem. *Populus omnis non poteſt eſſe populus hominis; ſed Dei.* Iucunda certè laborat inſania Criticus, non abſimilis ſtulto Athenienſi qui effusè lætabatur; quòd pretioſę mercis onerarias quotquot ad pyreum appellebant ſibi mercaturam facere vigilans ſomniaret: iſte verò quicquid eſt inferioris orbis ſuo ridens tradit Imperatori. Nec animaduertit ſi Bartholi adhæret deliriis, etiam ſummos Pontifices inter hæreticos annumerandos eſſe: cùm dixerit aliquis, *Galliæ Regem in ſuis terris eſſe Imperatorem.* Deberent qui ſic linguis, & calamis regna transferunt, & inertes Imperia conſtituunt; ſaltem à iuribus Imperij eximere detectas præterito ſæculo vtraſque Indias; ſed glorioſum illud *plus vltra,* columnis Herculis impoſitum, non Africæ littoribus, non terris vltima Thule, non Europæ limitibus continentes, pertinaciter ſentiunt cum Bartholo inter hæreticos, amiciendos Sambenitho, & vltricibus Toletanis flammis addicendos cenſeri debere; quotquot vel terræ ceſpitem, vel maris ſpumam, etiam apud Sinas, auſu ſacrilegǫ detraxerint Imperio Germanorum. Sed quicquid dicat Bartholus, non modico labore toto diuiſæ

Pſal. 23.

Proclus de fide ad Armenos.

Innocentius III. Ca. per venerabilem qui ſint filij legitimi.

regiones Oceano in vnum Imperij corpus coa-lescent.

Obtendet Criticus;quid ad te de Regnis quæ sub alio iacent hemisphærio, ab Imperij legibus exime Galliam, quam obnoxiam asseuero, non rationibus, quæ me deficiunt; sed exemplis, quæ præsto sunt. Primò *Sigismundus Imperator iura Galliæ dedit, equites creauit, leges condidit, pro suprema qua in Gallia Regnum auctoritate pollebat.* Sic breuibus agit fabulis Monitor. Fatemur Carolo sexto, apud nos debiliùs regnante, insedisse Sigismundi animo studiũ inuisendi nepotẽ suum:excepit Rex pro Gallica, & singulari sua comitate Imperatorẽ, cui omnes Christiani principes ob quandam religionem, quam existimant tantæ dignitati exhibendam; non quidem sceptra submittunt, nisi sint clientes; sed primum deferunt locum. Effecit ergo vrbanitas, vt obuiam Cæsari Rex prodiret: illum etiam Lutetiam Regni principem ciuitatem introductum rogauit; vt Seneschallum Belliquadrensem armaret in equitem; id verò muneris obiit Cæsar, non aliquo suo iure, sed Regis precibus adductus; vt solemne est cùm magni hospites magnos principes inuisunt. Deductus etiam semel Imperator ad Palatium Parisiense, vbi Senatus totius orbis augustissimus conuenire solet: ibi Cæsari prima sedes, id est regia honoris causa delata, non iure aliquo postulata: nec vt profligatè imponit Monitor, *aderant Imperij proceres cum officiorum insignibus*: Imò Regij suis

muneribus fungebantur. Nec actum fuit vnquam de iure dicendo, aut de legibus condendis, cùm Cæsar sederet spectator non actor, auditor non Legislator: si enim aliquid noui præsumere ausus fuisset; proculdubio intercessisset iuris Regij vindex acerrimus Senatus, qui nimiam Regis vrbanitatem iniquiùs tulit; maximè quòd Regia sede cessisset. Sed cùm Lugduni totam maiestatem Cæsaream vellet exercere Cæsar, Comitatū Sabaudiæ ad Ducatus dignitatem euehendo, rogatus à Regiis actoribus vt abstineret ab eo consilio, in ea vrbe in qua non liceret externo Principi aliqua vti potestate; nisi de Regis summi arbitri voluntate constaret; his auditis ciuitatem deseruit Sigismundus, & Montlurij, quod est oppidulum in agro Brexiano, tunc ditionis Sabaudicæ, quod conceperat solemni peregit ritu. Vides Critice non argumentum aliquod pro tuo instituto ab iis quæ Sigismundo in Gallia contigerunt educi contra Galliam; sed oppositum planè iis quæ intendis euinci.

Vnum tamen te impensè rogatum vellem; vt nobis aliquam de illis legibus quas ais tulisse in Gallia Sigismundum recitares, & ius ab eo dictum promeres; vt saltem inter deceptos, & credulos censeri posses. Arripiam occasionem à te mihi præbitam; vt te doceam quo loco iura, quæ vulgò nuncupantur Imperialia, sint apud Gallos. Disce non legum instar esse sed rationum, cùm Regum nostrorum decretis non aduersantur: sunt

enim pleraque in iure Cæſareo de communi ſenſu deprompta, quæ ex eo, non ab Imperatorum auctoritate vim apud nos obtinuerunt. Sic ſtatuit vnus de Regibus noſtris cùm Senatui Pariſienſi leges figeret Philippus Pulcher, & ſic obtinuit vſus non modò in iis regionibus quibus conſuetudines à Regibus confirmatæ pro regulis ſunt; ſed in iis prouinciis quas nuncupamus iuris ſcripti, id eſt Cæſarei, quod Regum noſtrorum ſanctionibus ſubeſt ſine controuerſia. Id quàm vetuſtum ſit inter Gallos comperies apud Agathiam, qui eos commendat. *Quòd non aliis quàm imperantium ſibi viuant inſtitutis, & quòd iiſdem omnes vtantur legibus, principes ſuos, iuſtitiam, ſimul & patriam colentes.* Vnde præſaga mente colligit, *futuram ſtabilem, atque adeo diu manſuram, nec facilè iniuriæ opportunam; vt capi ab hoſtibus queat Gallorum rempublicam.* Auctorem conſule ſi dubitas. Oldradum etiam lege, ſi voles: docebit ille Stephanum, & Alphonſum decimum Reges Hiſpaniæ; vt eraderent ex animis opinionem quam nonnulli Hiſpani conceperant, Imperium Germanicum iuris aliquid in Hiſpaniam obtinere, vim legibus Romanis nonniſi poſt patrias tribuiſſe.

Agathias lib. 1.

Oldradus in conſiliis.

Ad mendacium de Sigiſmundo confictum penitus reuellendum addamus quæ contigerunt Carolis quarto, & quinto Imperatoribus, dum Galliam pererrarunt. Primus inuiſit ſemel Carolum quintum Regem noſtrum ex ſorore nepotem; ſed quaſi ex condicto vniuerſus vrbium quas ingreſſus

est Magistratus, in eo conuenit, vt sic salutaretur.
Anno 1578. *Auspicato vestra Maiestas venerit in vrbem Regis.*
Nec illi alicubi oblata vmbella, nec festo sonitu vt annotarunt Historici personuerunt aëra campana, nec equo inuectus est albo. Cæterà comem se præbuit Rex, quia vt rectè Saluianus, *Franci sunt hospitales.* Id expertus Carolus quintus in Francisco primo, etsi pluribus annis se mutuò bellis exercuissent. Nihil certè reperies cùm per mediam Galliam ab Hispaniis in Belgium iter habuit Carolus, ab eo iure Imperij præsumptum; imò si quid ex comitate delatum est honoris, vix est ab illo quicquam admissum, quod vel minimam suspicionem parere posset, Principem certè fortem, & dignitatis Cæsareæ magnum vindicem, in animum induxisse suum, sibi aliquo iure Galliam esse deuinctam. Id profectò non continuisset ira cùm ad singulare certamen à Francisco fuit per Heraldum petitus, quod vt par à pari non est veritus admittere, nulla superioris dignitatis adducta exceptione.

Saluianus lib. 7. de Gub.

Nec ego in istis immoror, vt aliquem mortalium reuocem ab errore; cùm nemini dubium sit, sub Dei solius clientela stare Gallicum Imperium; sed vt Critici audaciam, qui ea quæ temere effundit vult pro veris recipi, in infamiam auctoris vertam. Hic tangente latus acriori aliquo nebulone,

Tunc immensa cauus spirat mendacia follis.

Inter cætera quæ fortè crapulam edormiens som-

ſomniauit, nihil eo portentoſius mendacio, quo per ſummam impudentiam affigit Franciſco primo *citationem ad comitia Imperialia; ita vt per procuratores expreſſos comparuerit, vt ſeſe ab inita cum Mahometanis confœderatione excuſaret.* Quaſi aliquid fuiſſet à cliente contra fidem beneficiariam admiſſum. Proh Deum immortalem! quò tandem hominis impotentia eruptura eſt? Age? tam malè ſentis de gente Gallica Monitor, vt eam ad hanc iniuriam credideris opportunam? Debuiſti vt rei hactenus inauditæ fidem aſtrueres, præconis, aut ſi honeſtiùs agere velis cum maximo Rege, nomen promere fecialis, qui perduellionis reo diem dixit, nec exceptus loris Gallicis ad lixarum faſtidium, in Germaniam ſe recepit. Recenſe etiam ſi noſti eorum Legatorum nomina, quos Franciſcus pro ſe iuri ſtare voluit. Ediſſere, quid de re tanta in publicis extet Imperij monumentis? Tu actor regius cùm ſis, non agis in priuatum hominem ſine teſtibus, vel inſtrumentis; nec aliter conuenire debes magni Regis dignitatem: Tyrannicum enim ſcis eſſe ſine aliqua confirmatione calumniam impingere. Nos pudoris memores; quia non obliti ſalutis, in contrarium adducemus teſtes à te non repellendos, quia tui ſunt; id eſt Cæſarei, & Germani.

Redeat Ioannes Sleidanus, & ea quæ Franciſcus primus in comitiis Germanicis agitauit, vel agitari voluit, in medium proferat. Refert Sleidanus ter ad comitia Germanica litteras dediſſe Franciſcum *Ioan. Sleidanus lib. 6. fol. 91.*

Regem. Primùm anno 1526. vbi partem Hungariæ inuasit Solimanus. Sic auctor: *Per hanc occasionem ad ordines Imperij scripsit Franciscus, Octobris die 6. propter occupatam à Turcis Pannoniam, & Ludouicum Regem extinctum, & propter Germaniæ periculum, magnum se dolorem animo percepisse.* Perculerat certè tantum discrimen Franciscum; ideóque liberum per Regnum Galliæ transitum concessit Germanis, Carolum quintum ab Hispania reuocaturis: imò vt subiicit Sleidanus, Epistola Regis hæc continebat: *Maiores suos Galliæ Reges, multa sæpe bella gessisse cum hostibus nominis Christiani; nunc idem posse fieri coniunctis viribus; modò Cæsar velit. Hoc ergo si perficiant, & impetrent* (scilicet ordines Imperij) *collaturum se in bellum Turcarum omne suum robur, imò seipsum.*

Ioannes Sleidanus fol. 144. Secundò refert Sleidanus anno 1535. Franciscum suo permotum genio, litteras dedisse ad Imperij comitia; vt dilueret sibi impositam calumniam de Turcicorum Legatorum in Galliam aduentu: hæc porrò de Epistola Regis Sleidanus. *Cùm autem eo tempore Turcici Legati essent in Galliis, eoque nomine Rex in odium, & suspicionem vocari sese per Germaniam audiret, Kalendis Februarij dat litteras ad Imperij Principes omnes, & ad ordines; ac illud de Turca primùm excusat.* Vbi quæso hîc reus peragitur Franciscus? vbi subit hîc iudicium Imperij? dum per Epistolam remouetur calumnia, quam Reges magni ab animis mortalium omnium, etiam subditorum eradere student: Id verò præstant; ne

famam, quam lex Christiana commendat, & qua res Principum niti potissimum solent, spreuisse videantur; & sic non modò personæ quam sustinent, sed Regni cui consulunt detrahant maiestati.

Scripsit tertiò Franciscus ad Cæsarem, & ad Imperij comitia, quæ Spiræ conuenerant, anno 1544. imò solemnem legationem adornarat, vt Imperij socius, & amicus Germaniæ; sed cùm Imperator liberiorem oratorum vereretur eloquentiam; à Granuelano fuit adductus, inconsultis Imperij proceribus; vt intercluderentur omnes aditus, ne Regis querimoniæ ad conuentum perferrentur: reiectus itaque Heraldus Gallicus, qui venerat, vt postularet liberum accessum Legatis, qui Nancei substiterant. Rem sic gestam Sleidanus exponit. *Sic ergo remittitur fecialis, cum litteris Regis ad Cæsarem, & ad Principes, & additi fuerunt equites nonnulli, qui Nanceium vsque perducerent. Huius autem rei nihil fuit communicatum Principibus; & plerisque videbatur hoc ab Imperij consuetudine esse alienum.* Neque enim ignorat Monitor Cæsarem in comitiis Principem duntaxat agere, non Dominum: quorum nominum si minùs discrimen callet Criticus, consulat Plinium Iuniorem in Panegyr. Traiani. Sed ad nostrum institutum redeamus; ex iis quæ in Commentarium redegit Sleidanus, constat, tantum abfuisse à citatione illa commentitia Franciscum primum; vt cùm vltro se offerret comitiis per Legatos tanquam Germanis fœdere

Sleidanus fol. 249.

Plinius Iunior in Paneg. Caue dum Princeps sis ne sit Domino locus.

iunctus; non solùm excluderetur ab Imperatore vt extraneus, sed repelleretur vt hostis; qui si in ius vocaretur admittendus erat, vt causam diceret delatus. Sed quid immoramur in nugis ventilandis. Pudet me certè congredi cum infantia, quæ ad elementa sui Dialogismi debuit amandari.

Antequam à Francisco primo & à Sleidano discedamus, non erit iniucunda obseruatio huius Historici: ait ille, cùm ambiret Imperium Franciscus, vna nixum potissimùm ratione, quæ his verbis recensetur: *Cùm enim exteris Principibus ad hunc gradum sciret esse lege iam inueterata præclusum aditum, voluit demonstrare, se quoque Germanum esse*; sed occurrit Sleidanus. *Verùm enim verò postremus è Caroli Magni stirpe masculina fuit Ludouicus quintus.* Certè si violare iura Regni sui potuit Galliæ Rex, maximè illi fuerant violanda Imperij gratia; nec tamen ista tantùm valuit, vt se tanquam beneficiarium Germaniæ submitteret Franciscus, etiam ad obtinendum Imperium, sed à Germanis licèt iam longo dissitum interuallo se prognatum esse assereret. Siue repeteret remotissimam originem à Francis, siue deriuaret minùs remotam à Carolo Magno, à quo genus per fœminas ducebat; scilicet per Ermengardam filiam Caroli Lotharingici, quam Genealogiæ seriē texere possemus. Per mares verò Germanus dici poterat Franciscus ab Hugone Capeto, qui è Saxonibus, vt fert constantior sententia, prodierat. Sed vt per transuersum hostem sua se nouus Fimbria conficiat sica; reuocet

in mentem quod excidit properanti calamo, dum de Francisco primo scribit, homo parum cautus, & mendax immemor. *Germania*, inquit, *quæ tantis dignitatis gradibus Galliam antecellit, nihil sibi in res Gallicas vendicat.* A quo tamen non abstineret, si Galliam haberet clientem; nam & studere suorum vtilitatibus debet Imperium.

Vt autem constet nos veris Germaniæ laudibus nihil detrahere; cùm præclaram gentem nominis Frácici, & generis nostræ originem nos colere par sit: agnoscet etiam Germania, Francos progenitoribus suis, & ornamento & vsui fuisse. Sed quia plerumque pariunt inuidiam comparationes, nullam instituemus: ingenuè tamen fatebimur; nos hactenus non animaduertisse, qui sint illi tanti dignitatis gradus, quibus vt ait Criticus Galliam antecedit Germania; nisi sede Imperij, quod à Gallis ad Germanos transiuit; vbi præcipuum decus à Regibus nostris desumpsit. Dicamus æquiores rerum æstimatores, nullius vel assentatores, vel contemptores: vtrique populo gloriæ verti, quòd vnum olim effecerint. Certè in exordiis Francici Regni tanta necessitudine coniuncti erant Franci, & Germani, aut Alemanni; vt pro vna gente haberentur; imò apud auctores multos passim nomina confunderentur. Nobis etiam ad demerendos Germanos prodesse debet; quod tres Regum nostrorum prosapiæ originem trahant à Germanis: vnde non est quòd repellant Gallos à suo Imperio; cùm illos ter Galli ad suum vocarint Imperium.

D. Hieronymus in vita sancti Hilarionis.

Sed Monitor incaluerat vino Rhenano, & Gallici maximè Belnensis cui innutritus fuit odor, color, & sapor apud illum euanuerant; cùm Galliam Germaniæ substernebat in mensa, de qua debellaturus erat Alexandrum si adfuisset. Vnum queror, quòd hæc vina sulfurea, ita fluxæ, & labilis memoriæ fecerint Criticum; vt cùm Imperij iuribus subdit Galliam, mox subiungat, non solùm ea quæ dixit de Gallia immuni à Germaniæ Imperio; sed adiiciat *nullis Imperij legibus nec statutis, nec annalibus constare Gallos libertatis Germanicæ tutores designatos fuisse, vel quæsitam vnquam à Germania Galliæ clientelam.* Nisi cum iniquo rerum arbitro nobis lis esset, rogarem hominem saltem Galliæ, si obnoxia est Imperio concederet auxiliarem operam; vt sic clientelæ fidem exolueret. Id si negligeret beneficiaria Gallia, maiestatis postulari meritò posset. Necesse est ergo vt consiliis, & viribus opem ferat etiam contra Imperatorem, cùm res agitur Imperij, cui potiùs quàm Cæsari suppetiæ submittendæ essent, si legibus Imperij non staret Cæsar.

Quia verò proteruè Monitor asserit, nullis annalibus constare, Reges Galliæ libertatis Germanicæ vindices esse; illum vt antiquiora taceam reuoco ad Henrici secundi Regis nostri tempora. Cùm enim ad ipsum tunc Chambortij prope Blesas degentem procerum Imperij Legati conuenissent, multisque exemplis induxissent; vt afflictis Germaniæ rebus adesse vellet; fœdus pactum

est anno 1552. quo Rex Galliæ vindex perpetuus Germanicæ libertatis, more vt dicitur maiorum pronunciatur: nec nos fugit hoc Imperatoribus non ita gratum esse, sicut Imperio, à quo Reges nostri ob societatem cum Germanis initam, & non ita pridem innouatam, sunt de auxiliis sæpiùs interpellati. Hæc profectò si non exigantur iure protectionis, debentur saltem iure fœderis: quod quàm arctum, & solemne sit inter Gallorum Reges, & Imperium Germanicum, testantur augusta illa Diplomata Philippi Augusti Regis nostri, à quingentis annis confecta, de quibus hæc referuntur apud Sleidanum: *Franciæ Rex Philippus Augustus, antiquum illud fœdus, quod vetustate propemodum erat obsoletum, aureis describi litteris, & sanctiori loco reponi iussit.* Iacet ergo cum Bulla aurea, fœdus illud aureum. Vnde iure iuratæ societatis debent Galli laboranti adesse Imperio.

Ioann. Sleidanus lib. 14.

Quid tu has commoues quæstiones, quas Epistolæ scriptores pacis studiosi, & viri prudentes non attigerant: tu verò turbator ineptissimus, tranquillitati quam reuocare cupimus vias omnes obstruis, spem pacis mundo eripis; dum stoliditate quadam animi omnia misces, subruis, & confundis. Præcipuè dum Regni Gallici splendorem imminuere, & celsitudiné inclinare ausu Giganteo contendis; vel vt alter Mulciber in sinu pudicæ nostræ Mineruæ, quam ignauus olim miles vi constuprare nequisti, ebrius seminas Erichthoniũ,

nulli mortalium, nisi Regi suo obnoxium esset. Refert Agathias, Theodebertum Francorũ vt dixi Orientaliũ Regem, & magni Clodouei domitoris Gotthorum nepotem, ita in Iustinianum Imperatorem exarsisse; quòd se Francicũ & Gallicum diceret, vt conflato centum millium exercitu, iniuriam illam Galliæ Regum supremis iuribus illatam vlcisci ferro flammáque vellet, nec aliam causam susceptæ in Italiam expeditionis prætenderet. Siue ergo Iustinianus Francorum robur pertimesceret; imprimis cohortes illas Gallicas quas Historici nuncuparunt Imperiorum arbitras; siue Regnum à Francis in Galliis bello quæsitum pulsis Gotthis agnosceret pro legitimo, per sanctionem illam celeberrimam quam refert Procopius iuri, si quod obtinebat in Gallias, maximè in Prouinciam renunciauit, *extincto in perpetuum Imperij Romani inter Francos nomine:* Cùm idem Imperator per Bellizarium, Narsetem alióśque Duces Africæ partem, Illyrium, Italiam, & Hispanias intactis Francis Romano vendicasset Imperio.

Agathias lib. 1.

Iustinianus l. 2. C. de veteri iure enucleando.

Procopius l. 2. de bello Gotthico.

Nec tamen eam abdicationem referimus in tabulas; cùm constet nascente Regno Gallico, Reges nostros sine controuersia omnibus summi Imperij insignibus adornatos. Quippe nummos aureos soli, propria non Imperatoris expressos imagine cudebant, quod ne Persarum quidem Regibus fas erat; sedebant etiam Reges nostri in amphitheatro equites, id est in equestri statua, quod solis Imperatoribus licebat. Mira certè quæ

Agathias lib. 1. Procopius lib. 1. & 2.

de

de initiis tanti Regni recenset Agathias. Imprimis obseruandum, & suspiciendum illud quod ex versione Latina referam, ne Monitorem nostrum sistat contextus Græcus. Audiant qui Francorum decus ægris oculis contuentur. *Iustitia, & charitas vbicumque inter mortales fouentur fœlicem proculdubio rempublicam reddunt, stabilémque, atque adeo mansuram efficiunt, nec facilè iniuriæ opportunam, vt capi ab hostibus queat. Franci ergo cùm optimum ducant id vitæ genus, seipsos imprimis, ac proximos quosque peruincunt, & ex parentibus filij regna suscipiunt.* Fidem adhibeat Criticus Imperatorum Historico qui asserit inter Francos, à parentibus filios regna suscipere: non ergo iure beneficiario ab Imperatoribus, quos non oscitantes modò, sed sopitos, imò extinctos fuisse necesse est vt existimet Monitor; si ad Regni Gallici non modò frequentes ad proximiores transitus; sed ad saltus in extraneos, quod bis contigit, siluit non Imperator modò sed Imperium.

Ergo Bartholo & Alciato perstrictis auri, & dignitatum splendore, Iurisperitis, Cæsari vniuersum orbem adscribentibus, opponamus pro Gallia non minus illustres iuris interpretes Italos, & Hispanos. Inter illos Baldus asserit disertè, *Regem Franciæ in suo regno esse Christi Vicarium*; quod nequaquam esset, si ab Imperatore Vicariam obtineret potestatem; nisi Christi nomen in Cæsarem transferatur. Quid si nobis etiam Hispani suffragantur? In his Petrus Belluga, *qui nec*

Bartholus in l. hostes § de captiuis.

Baldus in C. significantibus de Officio delegati, & in consilio petita venia.

Petrus Belluga in Spe-

culo princi- pum Tit. 44. §. nunc videamus. *iure, nec facto Regem Galliæ quemquam agnoscere superiorem asseueras.* Expendat iustitiæ libra Iurisperitus, & actor regius hæc verba, *nec iure, nec facto.* *Oldradus consilio 69.* Idem confirmat Oldradus Italus. Si arridet Critico vt accedant Hispanis, & Italis Germani: iterum *Lazius li. 3.* prodeat Lazius, qui non iuris, sed medicinæ Doctor, familiaris duorum Cæsarum Austriacorum, hæc scriptis mandauit. *A tempore Iustiniani* (id est nascentis Regni Gallici) *à Francis semper Imperatores abstinuerunt.* Ex quibus certè luce clarius est: apud omnes gentes, etiam rebus Gallicis iniquiores perpetuò constitisse; Galliam clientelæ omnis immunitate gaudere ab exordio. Sed claudat agmen qui ducere debuit summus Pontifex, vitæ sanctitate, grauitate morum, & scriptorum auctoritate nulli secundus, sanctus Gregorius meritò *D. Gregor. Magnus lib. 6. Epistolarũ Epistola 5.* Magnus. Is ad Childebertum nostrum sic scribit: *Quanto cæteros homines Regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna regni tui profectò culmen excellit.* Vnde non immeritò adiudicatum à tanto Pontifice primum inter Christianos Principes locum, Christianissimi Reges sibi vendicant; à quo culmine deciderent, si alicui potestati humanæ subdi contingeret.

At fuit olim Gallia prouincia Romani Imperij, cuius omnia iura vult Monitor Roma Viennam fuisse translata: Cauete nunc Imperij proceres; si eodem iure nunc stat Germanus Imperator, quo Romanus olim, vestrum eligendi genus planè conuellitur. Timeant sibi quotquot vbique terrarum

ſceptra geſtant Reges, vel diademate cingunt tempora Principes, vel ſuis agunt legibus Reſpublicæ: niſi enim Monitor inſanit cum Bartholo, & Alciato præclaris ſycophantis: inter hæreticos cenſendus eſt; quiſquis terrarum orbem cognitum, & incognitum, quantum protenditur cum oceano vniuerſo, non adſcribit Cæſari. Cui ſententiæ non ſubſcripſit vllus Imperator Chriſtianus; imò ſoli Chriſti cruci, non ſuæ aquilæ, inferioris mundi globum, aut vt alij vocant pomum ſubiicientes Cæſares, damnarunt Antonini Pij, Conſtantij, & Iuliani, vulgò apoſtatæ impiam arrogantiam, qui ſe vniuerſæ terræ dominos nuncupari voluerunt. Quid verò de Hiſpania Monitor pronunciabit? An ſapientiſſimo inter Ethnicos, & Hiſpano Senecæ vaticinandi gloriam detrahet; cùm magnæ animæ rectiùs vt ipſe ait colliment, & ſagacitate ingenij ſcopum ſæpiùs attingant. *Tam magni*, inquit, *ruina Imperij in totum diſſiliet orbem; aliqua pars in Ægypto, aliqua in Africa, aliqua in Hiſpania cadet; nec hoc miſeræ reipublicæ continget ſemel ruere.* Certè partem Imperij Romani ſuæ deſtinat Hiſpaniæ Seneca, quam tamen partem ſummo iure ſibi vendicat Hiſpania: quidni ergo & Gallia, etſi nullam illi portionem tribuat Senecæ vaticinium? *Seneca Epiſtola 71.*

Sed quàm malè meritus eſt de Imperatoribus Auſtriacis Criticus; dum eos in inuidiam vocat, quaſi omnibus inhient ditionibus, quas olim Imperij Romani fuiſſe nemo inficias ibit. Certè Dei

Manduci, id est Critici helluonis diductior hiatus illo, quem Zipæus Belga scriptor adscribit Gallo nostro. Vniuersum orbem subdere imperio vnius, est reddere Cæsari quod solius Dei est, nempe Dauidicum illud. *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* Audiat Monitor Proclum dicentem. *Populus omnis non potest esse populus hominis; sed Dei.* Iucunda certè laborat insania Criticus, non absimilis stulto Atheniensi qui effusè lætabatur; quòd pretiosę mercis onerarias quotquot ad pyreum appellebant sibi mercaturam facere vigilans somniaret: iste verò quicquid est inferioris orbis suo ridens tradit Imperatori. Nec animaduertit si Bartholi adhæret deliriis, etiam summos Pontifices inter hæreticos annumerandos esse: cùm dixerit aliquis, *Galliæ Regem in suis terris esse Imperatorem.* Deberent qui sic linguis, & calamis regna transferunt, & inertes Imperia constituunt; saltem à iuribus Imperij eximere detectas præterito sæculo vtrasque Indias; sed gloriosum illud *plus vltra*, columnis Herculis impositum, non Africæ littoribus, non terris vltima Thule, non Europæ limitibus continentes, pertinaciter sentiunt cum Bartholo inter hæreticos, amiciendos Sambenitho, & vltricibus Toletanis flammis addicendos censeri debere; quotquot vel terræ cespitem, vel maris spumam, etiam apud Sinas, ausu sacrilego detraxerint Imperio Germanorum. Sed quicquid dicat Bartholus, non modico labore toto diuisæ

Psal. 23.

Proclus de fide ad Armenos.

Innocentius III. Ca. per venerabilem qui sint filij legitimi.

regiones Oceano in vnum Imperij corpus coaleſcent.

Obtendet Criticus; quid ad te de Regnis quæ ſub alio iacent hemiſphærio, ab Imperij legibus exime Galliam, quam obnoxiam aſſeuero, non rationibus, quæ me deficiunt; ſed exemplis, quæ præſto ſunt. Primò *Sigiſmundus Imperator iura Galliæ dedit, equites creauit, leges condidit, pro ſuprema qua in Galliæ Regnum auctoritate pollebat.* Sic breuibus agit fabulis Monitor. Fatemur Carolo ſexto, apud nos debiliùs regnante, inſediſſe Sigiſmundi animo ſtudiũ inuiſendi nepotẽ ſuum: excepit Rex pro Gallica, & ſingulari ſua comitate Imperatorẽ, cui omnes Chriſtiani principes ob quandam relligionem, quam exiſtimant tantæ dignitati exhibendam; non quidem ſceptra ſubmittunt, niſi ſint clientes; ſed primum deferunt locum. Effecit ergo vrbanitas, vt obuiam Cæſari Rex prodiret: illum etiam Lutetiam Regni principem ciuitatem introductum rogauit; vt Seneſchallum Belliquadrenſem armaret in equitem; id verò muneris obiit Cæſar, non aliquo ſuo iure, ſed Regis precibus adductus; vt ſolemne eſt cùm magni hoſpites magnos principes inuiſunt. Deductus etiam ſemel Imperator ad Palatium Pariſienſe, vbi Senatus totius orbis auguſtiſſimus conuenire ſolet: ibi Cæſari prima ſedes, id eſt regia honoris cauſa delata, non iure aliquo poſtulata: nec vt profligatè imponit Monitor, *aderant Imperij proceres cum officiorum inſignibus:* Imò Regij ſuis

muneribus fungebantur. Nec actum fuit vnquam de iure dicendo, aut de legibus condendis, cùm Cæsar sederet spectator non actor, auditor non Legislator: si enim aliquid noui præsumere ausus fuisset; proculdubio intercessisset iuris Regij vindex acerrimus Senatus, qui nimiam Regis vrbanitatem iniquiùs tulit; maximè quòd Regia sede cessisset. Sed cùm Lugduni totam maiestatem Cæsaream vellet exercere Cæsar, Comitatũ Sabaudiæ ad Ducatus dignitatem euehendo, rogatus à Regiis actoribus vt abstineret ab eo consilio, in ea vrbe in qua non liceret externo Principi aliqua vti potestate; nisi de Regis summi arbitri voluntate constaret; his auditis ciuitatem deseruit Sigismundus, & Montlurij, quod est oppidulum in agro Brexiano, tunc ditionis Sabaudicæ, quod conceperat solemni peregit ritu. Vides Critice non argumentum aliquod pro tuo instituto ab iis quæ Sigismundo in Gallia contigerunt educi contra Galliam; sed oppositum planè iis quæ intendis euinci.

Vnum tamen te impensè rogatum vellem; vt nobis aliquam de illis legibus quas ais tulisse in Gallia Sigismundum recitares, & ius ab eo dictum promeres; vt saltem inter deceptos, & credulos censeri posses. Arripiam occasionem à te mihi præbitam, vt te doceam quo loco iura, quæ vulgò nuncupantur Imperialia, sint apud Gallos. Disce non legum instar esse sed rationum, cùm Regum nostrorum decretis non aduersantur: sunt

enim pleraque in iure Cæsareo de communi sensu deprompta, quæ ex eo, non ab Imperatorum auctoritate vim apud nos obtinuerunt. Sic statuit vnus de Regibus nostris cùm Senatui Parisiensi leges figeret Philippus Pulcher, & sic obtinuit vsus non modò in iis regionibus quibus consuetudines à Regibus confirmatæ pro regulis sunt; sed in iis prouinciis quas nuncupamus iuris scripti, id est Cæsarei, quod Regum nostrorum sanctionibus subest sine controuersia. Id quàm vetustum sit inter Gallos comperies apud Agathiam, qui eos commendat. *Quòd non aliis quàm imperantium sibi viuant institutis, & quòd iisdem omnes vtantur legibus, principes suos, iustitiam, simul & patriam colentes.* Vnde præsaga mente colligit, *futuram stabilem, atque adeo diu mansuram, nec facilè iniuriæ opportunam; vt capi ab hostibus queat Gallorum rempublicam.* Auctorem consule si dubitas. Oldradum etiam lege, si voles: docebit ille Stephanum, & Alphonsum decimum Reges Hispaniæ; vt eraderent ex animis opinionem quam nonnulli Hispani conceperant, Imperium Germanicum iuris aliquid in Hispaniam obtinere, vim legibus Romanis nonnisi post patrias tribuisse.

Agathias lib. 1.

Oldradus in consiliis.

Ad mendacium de Sigismundo confictum penitus reuellendum addamus quæ contigerunt Carolis quarto, & quinto Imperatoribus, dum Galliam pererrarunt. Primus inuisit semel Carolum quintum Regem nostrum ex sorore nepotem; sed quasi ex condicto vniuersus vrbium quas ingressus

est Magistratus, in eo conuenit, vt sic salutaretur.
Anno 1578. *Auspicato vestra Maiestas venerit in vrbem Regis.*
Nec illi alicubi oblata vmbella, nec festo sonitu vt annotarunt Historici personuerunt aëra campana, nec equo inuectus est albo. Cæterà comem se præbuit Rex, quia vt rectè Saluianus,
Saluianus lib. 7. de Gub. *Franci sunt hospitales.* Id expertus Carolus quintus in Francisco primo, etsi pluribus annis se mutuò bellis exercuissent. Nihil certè reperies cùm per mediam Galliam ab Hispaniis in Belgium iter habuit Carolus, ab eo iure Imperij præsumptum; imò si quid ex comitate delatum est honoris, vix est ab illo quicquam admissum, quod vel minimam suspicionem parere posset, Principem certè fortem, & dignitatis Cæsareæ magnum vindicem, in animum induxisse suum, sibi aliquo iure Galliam esse deuinctam. Id profectò non continuisset ira cùm ad singulare certamen à Francisco fuit per Heraldum petitus, quod vt par à pari non est veritus admittere, nulla superioris dignitatis adducta exceptione.

Nec ego in istis immoror, vt aliquem mortalium reuocem ab errore; cùm nemini dubium sit, sub Dei solius clientela stare Gallicum Imperium; sed vt Critici audaciam, qui ea quæ temere effundit vult pro veris recipi, in infamiam auctoris vertam. Hic tangente latus acriori aliquo nebulone,

Tunc immensa cauus spirat mendacia follis.

Inter cætera quæ fortè crapulam edormiens som-

somniauit, nihil eo portentosius mendacio, quo per summam impudentiam affigit Francisco primo *citationem ad comitia Imperialia; ita vt per procuratores expressos comparuerit, vt sese ab inita cum Mahometanis confœderatione excusaret.* Quasi aliquid fuisset à cliente contra fidem beneficiariam admissum. Proh Deum immortalem! quò tandem hominis impotentia eruptura est? Age? tam malè sentis de gente Gallica Monitor, vt eam ad hanc iniuriam credideris opportunam? Debuisti vt rei hactenus inauditæ fidem astrueres, præconis, aut si honestiùs agere velis cum maximo Rege, nomen promere fecialis, qui perduellionis reo diem dixit, nec exceptus loris Gallicis ad lixarum fastidium, in Germaniam se recepit. Recense etiam si nosti eorum Legatorum nomina, quos Franciscus pro se iuri stare voluit. Edissere, quid de re tanta in publicis extet Imperij monumentis? Tu actor regius cùm sis, non agis in priuatum hominem sine testibus, vel instrumentis; nec aliter conuenire debes magni Regis dignitatem: Tyrannicum enim scis esse sine aliqua confirmatione calumniam impingere. Nos pudoris memores; quia non obliti salutis, in contrarium adducemus testes à te non repellendos, quia tui sunt; id est Cæsarei, & Germani.

Redeat Ioannes Sleidanus, & ea quæ Franciscus primus in comitiis Germanicis agitauit, vel agitari voluit, in medium proferat. Refert Sleidanus ter ad comitia Germanica litteras dedisse Franciscum *Ioan. Sleidanus lib. 6. fol. 91.*

Regem. Primùm anno 1526. vbi partem Hungariæ inuasit Solimanus. Sic auctor: *Per hanc occasionem ad ordines Imperij scripsit Franciscus, Octobris die 6. propter occupatam à Turcis Pannoniam, & Ludouicum Regem extinctum, & propter Germaniæ periculum, magnum se dolorem animo percepisse.* Perculerat certè tantum discrimen Franciscum; ideóque liberum per Regnum Galliæ transitum concessit Germanis, Carolum quintum ab Hispania reuocaturis: imò vt subiicit Sleidanus, Epistola Regis hæc continebat: *Maiores suos Galliæ Reges, multa sæpe bella gessisse cum hostibus nominis Christiani; nunc idem posse fieri coniunctis viribus; modò Cæsar velit. Hoc ergo si perficiant, & impetrent* (scilicet ordines Imperij) *collaturum se in bellum Turcarum omne suum robur, imò seipsum.*

Ioannes Sleidanus fol. 144. Secundò refert Sleidanus anno 1535. Franciscum suo permotum genio, litteras dedisse ad Imperij comitia; vt dilueret sibi impositam calumniam de Turcicorum Legatorum in Galliam aduentu: hæc porrò de Epistola Regis Sleidanus. *Cùm autem eo tempore Turcici Legati essent in Galliis, eoque nomine Rex in odium, & suspicionem vocari sese per Germaniam audiret, Kalendis Februarij dat litteras ad Imperij Principes omnes, & ad ordines; ac illud de Turca primùm excusat.* Vbi quæso hîc reus peragitur Franciscus? vbi subit hîc iudicium Imperij? dum per Epistolam remouetur calumnia, quam Reges magni ab animis mortalium omnium, etiam subditorum eradere student: Id verò præstant; ne

famam, quam lex Christiana commendat, & qua res Principum niti potissimum solent, spreuisse videantur; & sic non modò personæ quam sustinent, sed Regni cui consulunt detrahant maiestati.

Scripsit tertiò Franciscus ad Cæsarem, & ad Imperij comitia, quæ Spiræ conuenerant, anno 1544. imò solemnem legationem adornarat, vt Imperij socius, & amicus Germaniæ; sed cùm Imperator liberiorem oratorum vereretur eloquentiam; à Granuelano fuit adductus, inconsultis Imperij proceribus; vt intercluderentur omnes aditus, ne Regis querimoniæ ad conuentum perferrentur: reiectus itaque Heraldus Gallicus, qui venerat, vt postularet liberum accessum Legatis, qui Nancei substiterant. Rem sic gestam Sleidanus exponit. *Sic ergo remittitur fecialis, cum litteris Regis ad Cæsarem, & ad Principes, & additi fuerunt equites nonnulli, qui Nanceium vsque perducerent. Huius autem rei nihil fuit communicatum Principibus; & plerisque videbatur hoc ab Imperij consuetudine esse alienum.* Neque enim ignorat Monitor Cæsarem in comitiis Principem duntaxat agere, non Dominum: quorum nominum si minùs discrimen callet Criticus, consulat Plinium Iuniorem in Panegyr. Traiani. Sed ad nostrum institutum redeamus; ex iis quæ in Commentarium redegit Sleidanus, constat, tantum abfuisse à citatione illa commentitia Franciscum primum; vt cùm vltro se offerret comitiis per Legatos tanquam Germanis fœdere

Sleidanus fol. 249.

Plinius Iunior in Paneg. Caue dum Princeps sis ne sit Domino locus.

Gotthis, Regnum ſuum per totas Gallias dilataſſe. Sed ne ſit proteruus Monitor, ſint præſtigiæ miracula, quæ idem ſanctus Gregorius refert de mœnibus Engoliſmæ à Gotthis occupatæ, in conſpectu Gallici exercitus, non alia vi quàm diuina collapſis: de igne cœleſti in turrim ſancti Hilarij delapſo, vt Gallis tranſeuntibus pharus eſſet. De ſorte quam Deus temperauit, cum Turonibus in Templo ſancti Martini in hos incidit Dauidis verſus, *Præcinxiſti me virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicos meos dediſti mihi dorſum.* Non ſit in tantæ victoriæ gratulationem ab Anaſtaſio Imperatore corona Regia triplex, & in conum aſſurgens Clodoueo tranſmiſſa; nec illa ſancto Petro Romæ oblata, impoſterum Regni nomen ſingulariter retinuerit. Non ſit in ſtrage Vocladenſi manu Clodouei cæſus Alaricus; Nec filij Clodouei Clotildem ſororem, quòd nollet in eius hæreſim, & mores concedere duriùs habitam vlti ſint, Gotthos iis quæ adhuc in Oxitania retinebant euertendo, & illos Pyreneis montibus coërcendo. Ingenioſus, pius, & meritò à multis inter Sanctos relatus Sidonius Apollinaris, qui ad pugnam Vocladenſem ſuos deduxerat Aruernos, fabulas verſu elegantiſſimo concinnarit. Impoſuerit orbi, & ſæculis ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis, & Hiſpanus Epiſcopus in Gallorum commendationem Vrbanum mendacem induerit. In ſuum traxerit errorem gentiles ſuos Franciſcum Tarapham, & Sanctium. A viris relligioſiſſimis decepti.

Aimoinus lib. 2. c. 9.

D. Greg. Turon. in Præf. in lib 3. Hiſt. Franc.

Pſalm. 17.

Amalaricus à Childeberto filio Clodou. occiſus.

Sidonius Apollinaris.

Iſidor. in Chronolog. Franc. Tarapha de Reg. Hiſp. Sanctius Hiſpanica Hiſtoria parte 2.

Paulus Diaconus, Blondus, Sigonius, & Sigebertus, Itali, & Germani, Gallorum gratiam mendaciis quæsierint. Inuratur infamia sempiterna Lazio, qui Imperatorum Ferdinandi & Maximiliani cùm esset medicus cubicularius, & Historicus Cæsareus, scribit, à Gallis non solùm deuictos in Gallia Gotthos, eósque Aquitania exactos; sed Germaniæ magna parte; imprimis Baioaria, Austria, & Belgio. Quas prouincias sic iuris Gallici factas, per duces (erant hi olim gubernatores) à Gallorum Regibus administratas fuisse asseuerat. Denique fuerit Theodoricus Gotthorum in Italia Rex assentator Clodouci nostri; cùm ei reportatas de Alemannis victorias gratulatur. Hæc omnia Galiicæ gloriæ monumenta vna spongia Criticus expungat. Suis etiam Burgundionibus ignauiam imponat; vt sibi deuinciat Suecos falsis, & ineptis laudibus Gotthorum, quos imperitus homo credit è Suecia prodiisse cùm Gallias penetrarunt. Quasi verò gens fortis Suecorum ad sui commendationem egeat commentis scriptoris ignaui, & vsqueadeo ignari; vt nesciat, ex iis regionibus vbi Danubius se in mare exonerat prodiisse Gotthos, aliquot antè sæculis ex Suecis, Danis, Dacis, & Noricis oriundos.

Sigonius lib. 16. de Occidentali Imperio.
Blondus dec. 1. lib. 5.
Lazius lib. 4.
Cassiodorus lib. 2. var. Epist. 41. ad Luduinum Franciæ Regem, qui Clodoueus.

Discat à nobis faciliori compendio Criticus; quid de Francorum progressibus scriptis mandarunt auctores probatæ fidei. Ab iis nec Gallis, nec recentibus, intelliget, in lucem prodiisse Gallicum Imperium ea cum ingenuitate: vt ab exortu

nulli mortalium, nisi Regi ſuo obnoxium eſſet. Refert Agathias, Theodebertum Francorũ vt dixi Orientaliũ Regem, & magni Clodouei domitoris Gotthorum nepotem, ita in Iuſtinianum Imperatorem exarſiſſe; quòd ſe Francicũ & Gallicum diceret, vt conflato centum millium exercitu, iniuriam illam Galliæ Regum ſupremis iuribus illatam vlciſci ferro flammáque vellet, nec aliam cauſam ſuſceptæ in Italiam expeditionis prætenderet. Siue ergo Iuſtinianus Francorum robur pertimeſceret; imprimis cohortes illas Gallicas quas Hiſtorici nuncuparunt Imperiorum arbitras; ſiue Regnum à Francis in Galliis bello quæſitum pulſis Gotthis agnoſceret pro legitimo, per ſanctionem illam celeberrimam quam refert Procopius iuri, ſi quod obtinebat in Gallias, maximè in Prouinciam renunciauit, *extincto in perpetuum Imperij Romani inter Francos nomine:* Cùm idem Imperator per Bellizarium, Narſetem alióſque Duces Africæ partem, Illyrium, Italiam, & Hiſpanias intactis Francis Romano vendicaſſet Imperio.

Agathias lib. 1.

Iuſtinianus l. 1. C. de veteri iure enucleando.

Procopius l. 2. de bello Gotthico.

Nec tamen eam abdicationem referimus in tabulas; cùm conſtet naſcente Regno Gallico, Reges noſtros ſine controuerſia omnibus ſummi Imperij inſignibus adornatos. Quippe nummos aureos ſoli, propria non Imperatoris expreſſos imagine cudebant, quod ne Perſarum quidem Regibus fas erat; ſedebant etiam Reges noſtri in amphitheatro equites, id eſt in equeſtri ſtatua, quod ſolis Imperatoribus licebat. Mira certè quæ

Agathias lib. 1. Procopius lib. 1. & 2.

de-

de initiis tanti Regni recenſet Agathias. Imprimis obſeruandum, & ſuſpiciendum illud quod ex verſione Latina referam, ne Monitorem noſtrum ſiſtat contextus Græcus. Audiant qui Francorum decus ægris oculis contuentur. *Iuſtitia, & charitas vbicumque inter mortales fouentur fœlicem proculdubio rempublicam reddunt, ſtabilémque, atque adeo manſuram efficiunt, nec facilè iniuriæ opportunam, vt capi ab hoſtibus queat. Franci ergo cùm optimum ducant id vitæ genus, ſeipſos imprimis, ac proximos quoſque peruincunt, & ex parentibus filij regna ſuſcipiunt.* Fidem adhibeat Criticus Imperatorum Hiſtorico qui aſſerit inter Francos, à parentibus filios regna ſuſcipere: non ergo iure beneficiario ab Imperatoribus, quos non oſcitantes modò, ſed ſopitos, imò extinctos fuiſſe neceſſe eſt vt exiſtimet Monitor; ſi ad Regni Gallici non modò frequentes ad proximiores tranſitus; ſed ad ſaltus in extraneos, quod bis contigit, ſiluit non Imperator modò ſed Imperium.

Ergo Bartholo & Alciato perſtrictis auri, & dignitatum ſplendore, Iuriſperitis, Cæſari vniuerſum orbem adſcribentibus, opponamus pro Gallia non minus illuſtres iuris interpretes Italos, & Hiſpanos. Inter illos Baldus aſſerit diſertè, *Regem Franciæ in ſuo regno eſſe Chriſti Vicarium*; quod nequaquam eſſet, ſi ab Imperatore Vicariam obtineret poteſtatem; niſi Chriſti nomen in Cæſarem transferatur. Quid ſi nobis etiam Hiſpani ſuffragantur? In his Petrus Belluga, *qui nec*

Bartholus in l. hoſtes § de captiuis.

Baldus in C. ſignificantibus de Officio delegati. & in conſilio petita venia.

Petrus Belluga in ſpe-

D

culo princi-pum Tit. 44. §. nunc videamus. *iure, nec facto Regem Galliæ quemquam agnoſcere ſuperiorem aſſeueras.* Expendat iuſtitiæ libra Iuriſperitus, & actor regius hæc verba, *nec iure, nec facto.* *Oldradus conſilio 69.* Idem confirmat Oldradus Italus. Si arridet Critico vt accedant Hiſpanis, & Italis Germani: iterum *Lazius li. 3.* prodeat Lazius, qui non iuris, ſed medicinæ Doctor, familiaris duorum Cæſarum Auſtriacorum, hæc ſcriptis mandauit. *A tempore Iuſtiniani* (id eſt naſcentis Regni Gallici) *à Francis ſemper Imperatores abſtinuerunt.* Ex quibus certè luce clarius eſt: apud omnes gentes, etiam rebus Gallicis iniquiores perpetuò conſtitiſſe; Galliam clientelæ omnis immunitate gaudere ab exordio. Sed claudat agmen qui ducere debuit ſummus Pontifex, vitæ ſanctitate, grauitate morum, & ſcriptorum auctoritate nulli ſecundus, ſanctus Gregorius meritò *D. Gregor. Magnus lib. 6. Epiſtolarũ Epiſtola 5.* Magnus. Is ad Childebertum noſtrum ſic ſcribit: *Quanto cæteros homines Regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna regni tui profectò culmen excellit.* Vnde non immeritò adiudicatum à tanto Pontifice primum inter Chriſtianos Principes locum, Chriſtianiſſimi Reges ſibi vendicant; à quo culmine deciderent, ſi alicui poteſtati humanæ ſubdi contingeret.

At fuit olim Gallia prouincia Romani Imperij, cuius omnia iura vult Monitor Roma Viennam fuiſſe tranſlata: Cauete nunc Imperij proceres; ſi eodem iure nunc ſtat Germanus Imperator, quo Romanus olim, veſtrum eligendi genus planè conuellitur. Timeant ſibi quotquot vbique terrarum

ſceptra geſtant Reges, vel diademate cingunt tempora Principes, vel ſuis agunt legibus Reſpublicæ: niſi enim Monitor inſanit cum Bartholo, & Alciato præclaris ſycophantis: inter hæreticos cenſendus eſt; quiſquis terrarum orbem cognitum, & incognitum, quantum protenditur cum oceano vniuerſo, non adſcribit Cæſari. Cui ſententiæ non ſubſcripſit vllus Imperator Chriſtianus; imò ſoli Chriſti cruci, non ſuæ aquilæ, inferioris mundi globum, aut vt alij vocant pomum ſubiicientes Cæſares, damnarunt Antonini Pij, Conſtantij, & Iuliani, vulgò apoſtatæ impiam arrogantiam, qui ſe vniuerſæ terræ dominos nuncupari voluerunt. Quid verò de Hiſpania Monitor pronunciabit? An ſapientiſſimo inter Ethnicos, & Hiſpano Senecæ vaticinandi gloriam detrahet; cùm magnæ animæ rectiùs vt ipſe ait colliment, & ſagacitate ingenij ſcopum ſæpiùs attingant. *Tam magni, inquit, ruina Imperij in totum diſſiliet orbem; aliqua pars in Ægypto, aliqua in Africa, aliqua in Hiſpania cadet; nec hoc miſeræ reipublicæ continget ſemel ruere.* Certè partem Imperij Romani ſuæ deſtinat Hiſpaniæ Seneca, quam tamen partem ſummo iure ſibi vendicat Hiſpania: quidni ergo & Gallia, etſi nullam illi portionem tribuat Senecæ vaticinium?

Seneca Epiſtola 71.

Sed quàm malè meritus eſt de Imperatoribus Auſtriacis Criticus; dum eos in inuidiam vocat, quaſi omnibus inhient ditionibus, quas olim Imperij Romani fuiſſe nemo inficias ibit. Certè Dei

Manduci, id eſt Critici helluonis diductior hia-tus illo, quem Zipæus Belga ſcriptor adſcribit Gallo noſtro. Vniuerſum orbem ſubdere imperio vnius, eſt reddere Cæſari quod ſolius Dei eſt, nempe Dauidicum illud. *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.* Audiat Monitor Proclum dicentem. *Populus omnis non poteſt eſſe populus hominis; ſed Dei.* Iucunda certè laborat inſania Criticus, non abſimilis ſtulto Athenienſi qui effusè lætabatur; quòd pretioſę mercis onerarias quotquot ad pyreum appellebant ſibi mercaturam facere vigilans ſomniaret: iſte verò quicquid eſt inferioris orbis ſuo ridens tradit Imperatori. Nec animaduertit ſi Bartholi adhæret deliriis, etiam ſummos Pontifices inter hæreticos annumerandos eſſe: cùm dixerit aliquis, *Galliæ Regem in ſuis terris eſſe Imperatorem.* Deberent qui ſic linguis, & calamis regna transferunt, & inertes Imperia conſtituunt; ſaltem à iuribus Imperij eximere detectas præterito ſæculo vtraſque Indias; ſed glorioſum illud *plus vltra*, columnis Herculis impoſitum, non Africæ littoribus, non terris vltima Thule, non Europæ limitibus continentes, pertinaciter ſentiunt cum Bartholo inter hæreticos, amiciendos Sambenitho, & vltricibus Toletanis flammis addicendos cenſeri debere; quotquot vel terræ ceſpitem, vel maris ſpumam, etiam apud Sinas, auſu ſacrilegę detraxerint Imperio Germanorum. Sed quicquid dicat Bartholus, non modico labore toto diuiſæ

Pſal. 23.

Proclus de fide ad Armenos.

Innocentius III. Ca. per venerabilem qui ſint filij legitimi.

regiones Oceano in vnum Imperij corpus coaleſcent.

Obtendet Criticus;quid ad te de Regnis quæ ſub alio iacent hemiſphærio, ab Imperij legibus exime Galliam, quam obnoxiam aſſeuero, non rationibus, quæ me deficiunt; ſed exemplis, quæ præſto ſunt. Primò *Sigiſmundus Imperator iura Galliæ dedit, equites creauit, leges condidit, pro ſuprema qua in Galliæ Regnum auctoritate pollebat.* Sic breuibus agit fabulis Monitor. Fatemur Carolo ſexto, apud nos debiliùs regnante, inſediſſe Sigiſmundi animo ſtudiū inuiſendi nepotē ſuum:excepit Rex pro Gallica, & ſingulari ſua comitate Imperatorē, cui omnes Chriſtiani principes ob quandam relligionem, quam exiſtimant tantæ dignitati exhibendam; non quidem ſceptra ſubmittunt, niſi ſint clientes; ſed primum deferunt locum. Effecit ergo vrbanitas, vt obuiam Cæſari Rex prodiret: illum etiam Lutetiam Regni principem ciuitatem introductum rogauit; vt Seneſchallum Belliquadrenſem armaret in equitem; id verò muneris obiit Cæſar, non aliquo ſuo iure, ſed Regis precibus adductus; vt ſolemne eſt cùm magni hoſpites magnos principes inuiſunt. Deductus etiam ſemel Imperator ad Palatium Pariſienſe, vbi Senatus totius orbis auguſtiſſimus conuenire ſolet: ibi Cæſari prima ſedes, id eſt regia honoris cauſa delata, non iure aliquo poſtulata: nec vt profligatè imponit Monitor, *aderant Imperij proceres cum officiorum inſignibus :* Imò Regij ſuis

muneribus fungebantur. Nec actum fuit vnquam de iure dicendo, aut de legibus condendis, cùm Cæsar sederet spectator non actor, auditor non Legislator: si enim aliquid noui præsumere ausus fuisset; proculdubio intercessisset iuris Regij vindex acerrimus Senatus, qui nimiam Regis vrbanitatem iniquiùs tulit; maximè quòd Regia sede cessisset. Sed cùm Lugduni totam maiestatem Cæsaream vellet exerere Cæsar, Comitatũ Sabaudiæ ad Ducatus dignitatem euehendo, rogatus à Regiis actoribus vt abstineret ab eo consilio, in ea vrbe in qua non liceret externo Principi aliqua vti potestate; nisi de Regis summi arbitri voluntate constaret; his auditis ciuitatem deseruit Sigismundus, & Montlurij, quod est oppidulum in agro Brexiano, tunc ditionis Sabaudicæ, quod conceperat solemni peregit ritu. Vides Critice non argumentum aliquod pro tuo instituto ab iis quæ Sigismundo in Gallia contigerunt educi contra Galliam; sed oppositum planè iis quæ intendis euinci.

Vnum tamen te impensè rogatum vellem; vt nobis aliquam de illis legibus quas ais tulisse in Gallia Sigismundum recitares, & ius ab eo dictum promeres; vt saltem inter deceptos, & credulos censeri posses. Arripiam occasionem à te mihi præbitam, vt te doceam quo loco iura, quæ vulgò nuncupantur Imperialia, sint apud Gallos. Disce non legum instar esse sed rationum, cùm Regum nostrorum decretis non aduersantur: sunt

enim pleraque in iure Cæſareo de communi ſenſu deprompta, quæ ex eo, non ab Imperatorum auctoritate vim apud nos obtinuerunt. Sic ſtatuit vnus de Regibus noſtris cùm Senatui Pariſienſi leges figeret Philippus Pulcher, & ſic obtinuit vſus non modò in iis regionibus quibus conſuetudines à Regibus confirmatæ pro regulis ſunt; ſed in iis prouinciis quas nuncupamus iuris ſcripti, id eſt Cæſarei, quod Regum noſtrorum ſanctionibus ſubeſt ſine controuerſia. Id quàm vetuſtum ſit inter Gallos comperies apud Agathiam, qui eos *Agathias lib. 1.* commendat. *Quòd non aliis quàm imperantium ſibi viuant inſtitutis, & quòd iiſdem omnes vtantur legibus, principes ſuos, iuſtitiam, ſimul & patriam colentes.* Vnde præſaga mente colligit, *futuram ſtabilem, atque adeo diu manſuram, nec facilè iniuriæ opportunam; vt capi ab hoſtibus queat Gallorum rempublicam.* Auctorem conſule ſi dubitas. Oldradum etiam lege, *Oldradus in conſiliis.* ſi voles: docebit ille Stephanum, & Alphonſum decimum Reges Hiſpaniæ; vt eraderent ex animis opinionem quam nonnulli Hiſpani conceperant, Imperium Germanicum iuris aliquid in Hiſpaniam obtinere, vim legibus Romanis nonniſi poſt patrias tribuiſſe.

Ad mendacium de Sigiſmundo confictum penitus reuellendum addamus quæ contigerunt Carolis quarto, & quinto Imperatoribus, dum Galliam pererrarunt. Primus inuiſit ſemel Carolum quintum Regem noſtrum ex ſorore nepotem; ſed quaſi ex condicto vniuerſus vrbium quas ingreſſus

est Magistratus, in eo conuenit, vt sic salutaretur.
Anno 1578. *Auspicato vestra Maiestas venerit in vrbem Regis.* Nec illi alicubi oblata vmbella, nec festo sonitu vt annotarunt Historici personuerunt æra campana, nec equo inuectus est albo. Cæterà comem se præbuit Rex, quia vt rectè Saluianus, *Franci sunt hospitales.* Id expertus Carolus quintus in Francisco primo, etsi pluribus annis se mutuò bellis exercuissent. Nihil certè reperies cùm per mediam Galliam ab Hispaniis in Belgium iter habuit Carolus, ab eo iure Imperij præsumptum; imò si quid ex comitate delatum est honoris, vix est ab illo quicquam admissum, quod vel minimam suspicionem parere posset, Principem certè fortem, & dignitatis Cæsareæ magnum vindicem, in animum induxisse suum, sibi aliquo iure Galliam esse deuinctam. Id profectò non continuisset ira cùm ad singulare certamen à Francisco fuit per Heraldum petitus, quod vt par à pari non est veritus admittere, nulla superioris dignitatis adducta exceptione.

Saluianus lib. 7. de Gub.

Nec ego in istis immoror, vt aliquem mortalium reuocem ab errore; cùm nemini dubium sit, sub Dei solius clientela stare Gallicum Imperium; sed vt Critici audaciam, qui ea quæ temere effundit vult pro veris recipi, in infamiam auctoris vertam. Hic tangente latus acriori aliquo nebulone,

Tunc immensa cauus spirat mendacia follis.

Inter cætera quæ fortè crapulam edormiens

som-

ſomniauit, nihil eo portentoſius mendacio, quo per ſummam impudentiam affigit Franciſco primo *citationem ad comitia Imperialia; ita vt per procuratores expreſſos comparuerit, vt ſeſe ab inita cum Mahometanis confœderatione excuſaret.* Quaſi aliquid fuiſſet à cliente contra fidem beneficiariam admiſſum. Proh Deum immortalem! quò tandem hominis impotentia eruptura eſt? Age? tam malè ſentis de gente Gallica Monitor, vt eam ad hanc iniuriam credideris opportunam? Debuiſti vt rei hactenus inauditæ fidem aſtrueres, præconis, aut ſi honeſtiùs agere velis cum maximo Rege, nomen promere fecialis, qui perduellionis reo diem dixit, nec exceptus loris Gallicis ad lixarum faſtidium, in Germaniam ſe recepit. Recenſe etiam ſi noſti eorum Legatorum nomina, quos Franciſcus pro ſe iuri ſtare voluit. Ediſſere, quid de re tanta in publicis extet Imperij monumentis? Tu actor regius cùm ſis, non agis in priuatum hominem ſine teſtibus, vel inſtrumentis; nec aliter conuenire debes magni Regis dignitatem: Tyrannicum enim ſcis eſſe ſine aliqua confirmatione calumniam impingere. Nos pudoris memores; quia non obliti ſalutis, in contrarium adducemus teſtes à te non repellendos, quia tui ſunt; id eſt Cæſarei, & Germani.

Redeat Ioannes Sleidanus, & ea quæ Franciſcus primus in comitiis Germanicis agitauit, vel agitari voluit, in medium proferat. Refert Sleidanus ter ad comitia Germanica litteras dediſſe Franciſcum *Ioan. Sleidanus lib. 6. fol. 91.*

Regem. Primùm anno 1526. vbi partem Hungariæ inuasit Solimanus. Sic auctor: *Per hanc occasionem ad ordines Imperij scripsit Franciscus, Octobris die 6. propter occupatam à Turcis Pannoniam, & Ludouicum Regem extinctum, & propter Germaniæ periculum, magnum se dolorem animo percepisse.* Perculerat certè tantum discrimen Franciscum; ideóque liberum per Regnum Galliæ transitum concessit Germanis, Carolum quintum ab Hispania reuocaturis: imò vt subiicit Sleidanus, Epistola Regis hæc continebat: *Maiores suos Galliæ Reges, multa sæpe bella gessisse cum hostibus nominis Christiani; nunc idem posse fieri coniunctis viribus; modò Cæsar velit. Hoc ergo si perficiant, & impetrent* (scilicet ordines Imperij) *collaturum se in bellum Turcarum omne suum robur, imò seipsum.*

Ioannes Sleidanus fol. 144. Secundò refert Sleidanus anno 1535. Franciscum suo permotum genio, litteras dedisse ad Imperij comitia; vt dilueret sibi impositam calumniam de Turcicorum Legatorum in Galliam aduentu: hæc porrò de Epistola Regis Sleidanus. *Cùm autem eo tempore Turcici Legati essent in Galliis, eoque nomine Rex in odium, & suspicionem vocari sese per Germaniam audiret, Kalendis Februarij dat litteras ad Imperij Principes omnes, & ad ordines; ac illud de Turca primùm excusat.* Vbi quæso hîc reus peragitur Franciscus? vbi subit hîc iudicium Imperij? dum per Epistolam remouetur calumnia, quam Reges magni ab animis mortalium omnium, etiam subditorum eradere student: Id verò præstant; ne

famam, quam lex Christiana commendat, & qua res Principum niti potissimum solent, spreuisse videantur; & sic non modò personæ quam sustinent, sed Regni cui consulunt detrahant maiestati.

Scripsit tertiò Franciscus ad Cæsarem, & ad Imperij comitia, quæ Spiræ conuenerant, anno 1544. imò solemnem legationem adornarat, vt Imperij socius, & amicus Germaniæ; sed cùm Imperator liberiorem oratorum vereretur eloquentiam; à Granuelano fuit adductus, inconsultis Imperij proceribus; vt intercluderentur omnes aditus, ne Regis querimoniæ ad conuentum perferrentur: reiectus itaque Heraldus Gallicus, qui venerat, vt postularet liberum accessum Legatis, qui Nancei substiterant. Rem sic gestam Sleidanus exponit. *Sic ergo remittitur fecialis, cum litteris Regis ad Cæsarem, & ad Principes, & additi fuerunt equites nonnulli, qui Nanceium vsque perducerent. Huius autem rei nihil fuit communicatum Principibus; & plerisque videbatur hoc ab Imperij consuetudine esse alienum.* Neque enim ignorat Monitor Cæsarem in comitiis Principem duntaxat agere, non Dominum: quorum nominum si minùs discrimen callet Criticus, consulat Plinium Iuniorem in Panegyr. Traiani. Sed ad nostrum institutum redeamus; ex iis quæ in Commentarium redegit Sleidanus, constat, tantum abfuisse à citatione illa commentitia Franciscum primum; vt cùm vltro se offerret comitiis per Legatos tanquam Germanis fœdere

Sleidanus fol. 249.

Plinius Iunior in Paneg. Caue dum Princeps sis ne sit Domino locus.

iunctus; non solùm excluderetur ab Imperatore vt extraneus, sed repelleretur vt hostis; qui si in ius vocaretur admittendus erat, vt causam diceret delatus. Sed quid immoramur in nugis ventilandis. Pudet me certè congredi cum infantia, quæ ad elementa sui Dialogismi debuit amandari.

Antequam à Francisco primo & à Sleidano discedamus, non erit iniucunda obseruatio huius Historici: ait ille, cùm ambiret Imperium Franciscus, vna nixum potissimùm ratione, quæ his verbis recensetur: *Cùm enim exteris Principibus ad hunc gradum sciret esse lege iam inueterata præclusum aditum, voluit demonstrare, se quoque Germanum esse;* sed occurrit Sleidanus. *Verùm enim verò postremus è Caroli Magni stirpe masculina fuit Ludouicus quintus.* Certè si violare iura Regni sui potuit Galliæ Rex, maximè illi fuerant violanda Imperij gratia; nec tamen ista tantùm valuit; vt se tanquam beneficiarium Germaniæ submitteret Franciscus, etiam ad obtinendum Imperium, sed à Germanis licèt iam longo dissitum interuallo se prognatum esse assereret. Siue repeteret remotissimam originem à Francis, siue deriuaret minùs remotam à Carolo Magno, à quo genus per fœminas ducebat; scilicet per Ermengardam filiam Caroli Lotharingici, quam Genealogiæ seriē texere possemus. Per mares verò Germanus dici poterat Franciscus ab Hugone Capeto, qui è Saxonibus, vt fert constantior sententia, prodierat. Sed vt per transuersum hostem sua se nouus Fimbria conficiat sica; reuocet

in mentem quod excidit properanti calamo, dum de Francisco primo scribit, homo parum cautus, & mendax immemor. *Germania*, inquit, *quæ tantis dignitatis gradibus Galliam antecellit, nihil sibi in res Gallicas vendicat.* A quo tamen non abstineret, si Galliam haberet clientem; nam & studere suorum vtilitatibus debet Imperium.

Vt autem constet nos veris Germaniæ laudibus nihil detrahere; cùm præclaram gentem nominis Fráci ci,& generis nostræ originem nos colere par sit: agnoscet etiam Germania, Francos progenitoribus suis, & ornamento & vsui fuisse. Sed quia plerumque pariunt inuidiam comparationes, nullam instituemus: ingenuè tamen fatebimur; nos hactenus non animaduertisse, qui sint illi tanti dignitatis gradus, quibus vt ait Criticus Galliam antecedit Germania; nisi sede Imperij, quod à Gallis ad Germanos transiuit; vbi præcipuum decus à Regibus nostris desumpsit. Dicamus æquiores rerum æstimatores, nullius vel assentatores, vel contemptores: vtrique populo gloriæ verti, quòd vnum olim effecerint. Certè in exordiis Francici Regni tanta necessitudine coniuncti erant Franci, & Germani, aut Alemanni; vt pro vna gente haberentur; imò apud auctores multos passim nomina confunderentur. Nobis etiam ad demerendos Germanos prodesse debet; quod tres Regum nostrorum prosapiæ originem trahant à Germanis: vnde non est quòd repellant Gallos à suo Imperio; cùm illos ter Galli ad suum vocarint Imperium.

D. Hieronymus in vita sancti Hilarionis.

Sed Monitor incaluerat vino Rhenano, & Gallici maximè Belnensis cui innutritus fuit odor, color, & ſapor apud illum euanuerant; cùm Galliam Germaniæ ſubſternebat in menſa, de qua debellaturus erat Alexandrum ſi adfuiſſet. Vnum queror, quòd hæc vina ſulfurea, ita fluxæ, & labilis memoriæ fecerint Criticum; vt cùm Imperij iuribus ſubdit Galliam, mox ſubiungat, non ſolùm ea quæ dixit de Gallia immuni à Germaniæ Imperio; ſed adiiciat *nullis Imperij legibus nec ſtatutis, nec annalibus conſtare Gallos libertatis Germanicæ tutores deſignatos fuiſſe, vel quæſitam vnquam à Germania Galliæ clientelam.* Niſi cum iniquo rerum arbitro nobis lis eſſet, rogarem hominem ſaltem Galliæ, ſi obnoxia eſt Imperio concederet auxiliarem operam; vt ſic clientelæ fidem exolueret. Id ſi negligeret beneficiaria Gallia, maieſtatis poſtulari meritò poſſet. Neceſſe eſt ergo vt conſiliis, & viribus opem ferat etiam contra Imperatorem, cùm res agitur Imperij, cui potiùs quàm Cæſari ſuppetiæ ſubmittendæ eſſent, ſi legibus Imperij non ſtaret Cæſar.

Quia verò proteruè Monitor aſſerit, nullis annalibus conſtare, Reges Galliæ libertatis Germanicæ vindices eſſe; illum vt antiquiora taceam reuoco ad Henrici ſecundi Regis noſtri tempora. Cùm enim ad ipſum tunc Chambortij prope Bleſas degentem procerum Imperij Legati conueniſſent, multiſque exemplis induxiſſent; vt afflictis Germaniæ rebus adeſſe vellet; fœdus pactum

est anno 1551. quo Rex Galliæ vindex perpetuus Germanicæ libertatis, more vt dicitur maiorum pronunciatur: nec nos fugit hoc Imperatoribus non ita gratum esse, sicut Imperio, à quo Reges nostri ob societatem cum Germanis initam, & non ita pridem innouatam, sunt de auxiliis sæpiùs interpellati. Hæc profectò si non exigantur iure protectionis, debentur saltem iure fœderis: quod quàm arctum, & solemne sit inter Gallorum Reges, & Imperium Germanicum, testantur augusta illa Diplomata Philippi Augusti Regis nostri, à quingentis annis confecta, de quibus hæc referuntur apud Sleidanum: *Franciæ Rex Philippus Augustus, antiquum illud fœdus, quod vetustate propemodum erat obsoletum, aureis describi litteris, & sanctiori loco reponi iussit.* Iacet ergo cum Bulla aurea, fœdus illud aureum. Vnde iure iuratæ societatis debent Galli laboranti adesse Imperio. *Ioann. Sleidanus lib. 24.*

Quid tu has commoues quæstiones, quas Epistolæ scriptores pacis studiosi, & viri prudentes non attigerant: tu verò turbator ineptissimus, tranquillitati quam reuocare cupimus vias omnes obstruis, spem pacis mundo eripis; dum stoliditate quadam animi omnia misces, subruis, & confundis. Præcipuè dum Regni Gallici splendorem imminuere, & celsitudiné inclinare ausu Giganteo contendis; vel vt alter Mulciber in sinu pudicæ nostræ Mineruæ, quam ignauus olim miles vi constuprare nequisti, ebrius seminas Erichthoniũ,

id est libellum tuum, monstrum ex homine, & serpente conflatum. Nemini persuadebis vnquã, Reges Galliæ precariò regnare. Sicut enim non ab alio quàm à Deo illis delata potestas, sic nec à cuiuslibet mortalis arbitrio pendet auctoritas, nec ad alios quàm ad propaginis Regiæ Principes transferri potest dignitas.

Quanquam mihi iam nauseam pariunt ineptiæ Monitoris, qui in multas transuersus rapitur maledicentias, & instar anserculi degustatis cicutis, emotum caput circumagit, & rotat; necesse est tamen maioribus contumeliis in auras sparsis, ad minores etiam descendere, imò nos abiicere; ne sibi in aliquo non dicam sapere; sed molliùs insaniisse Criticus videatur. Legi aliàs de causarum Patrono Vibio Gallo; toties personam induisse stulti, vt tandem exuere nequiuerit: idem vereor ne contingat Critico perpetuum scurram agenti: ita vt me pudeat tam malè de actore Regi magno prouisum fuisse. Fateor risum non bilem mouit, cùm in hæc incurri verba. *Quæ de Gallica potentia dicuntur thrazonicè dicta, ex milite glorioso apud Plautum desumpta: ab isto Rege scilicet pusillo reportatam insignem victoriam ad oppidum Rocrense; vbi plures Galli quàm Hispani cecidere.* Meritóque illi cladi cladem Durlinganam ait præferendam æquus arbiter. Anceps animi pendeo quid potissimum in tot nugis contemptu sit excipiendum. An quod dicit se deprehendisse in Epistola gloriosi militis iactantiam; Sed vbi quæso hæc ostentatio, nisi

Plutarchus.

in nostrarum rerum modesta commendatione, quæ nec in crimen, nec in iocum verti potuit Legatis, qui citra iniuriam aliorum Principum quod virtute, & felicitate Gallica confectum est, non extulerunt, imò nec retulerunt; sed vno verbulo tetigerunt. Vbi quæso deprehenditur aliquid, quod vel Thrazonem, vel militis gloriosi sesquipedalia verba, vel Plauti plagiarium redoleat?

Gallicam verò potentiam non est quòd spernat Criticus, qui eam in Europa fidem non est assequutus; vt dum Galliæ vires eleuare nititur, inducere possit Germaniam, Hispaniam, Italiam, & Belgium, vt sentiant aliud animis, quàm quod rebus ipsis sentitur de Gallorum impressionibus, & felicitatibus. Nisi fortè tam eloquens est Monitor; vt iis Prouinciis, quæ nostros in finibus suis excurrentes, non modò percipiunt oculis; sed in visceribus hærentes persentiscunt, persuadeat nulla id Gallorum contingere, vel prudentia, vel potentia. Quas virtutes si non agnoscunt in nobis hostes, se suósque Duces, qui nullis cesserunt, vel industriis, vel viribus, imprudentes, & ignauos fateantur necesse est: quod sine Imperij, & Hispaniæ summo dedecore cogitari vix potest. Hanc enim fortissimæ gentes à se repellere nequeunt infamiam, nisi Gallorum in administrandis bellis consilia, & in gerendis fortitudinem prædicando.

Thrazonem verò, & militem gloriosum agit Criticus; cùm Gallorum *in Austriacos Principes conatus Enceladicam in superos temeritatem vocat.* Notabo

in tranſcurſu; non aliam toto libello præ ſe tuliſſe doctrinam Monitorem; quàm cùm Enceladum Virgilij; & militem glorioſum Plauti nominauit.
Tertull. lib. de anima. Audiat Tertullianum, rigidum illum virtutis ſatellitem, *qui inſaniunt*, inquit, *alios in aliis vident:* ſic Criticus Gallos in ſuis, & ſuos in Gallis; ſed præſtigiis deluſus agnoſcit. Iudicet Europa, qui tandem ſint Enceladi, quos non dicam deiecerit in Ætnam (quod abſit) ſed magis afflarit Martium fulmen. Profectò plectendus eſt à ſuis imprudens ſcriptor, qui vt è gloriæ ſolio deturbet Gallos, in profundiſſimum infamiæ barathrum eorum demergit aduerſarios: vnde meritò ſuſpicionem proditionis apud ſuos incurrere debeat.

Quàm verendum eſt Hiſpaniæ, ne libellus Monitoris Regi Catholico ita imponat; vt adducatur ad credendum, nullum rebus ſuis damnum illatum in campis Rupis Regiæ: cùm omnibus exploratum ſit, à pugna Northlingana vbi plures fatemur cecidiſſe, nullam tanti nominis fuiſſe commiſſam, explicatis agminibus ferè decretoriam. Ridendus ſanè medicus, qui tam acerbo vulneri, quod nondum coaluit, nec quandiu ſtabunt noſtrorum temporum bella coaleſcet, conatur leuiſſimum Durlinganæ cladis adhibere fomentum: cùm non magis æra lupinis diſtent. Norunt non ſolùm Germani, ſed omnes ferè Europæi, Durlingæ ad quinque Gallorum, aut Germanorum millia intercepta fuiſſe, nec viribus actum quicquam in noſtros, ſed celeritate anteuerſos: cùm

apud Rupem Regiam aperto Marte, & directâ vtrinque acie certatum sit. Tunc non sustinens primum Gallorum impetum equitatus Hispanicus fuga dilapsus est: selectissimus verò peditatus, cuius virtute pugna potissimùm nitebatur, firmior in vestigio perstans, fortitudini Gallicæ cessit vniuersus, cum tormentis, signis, & tota supellectili castrensi. Non inficiamur multos è Gallis desideratos fuisse, quod eorum strenuitatem commendat; plures tamen ex Hispanis cæsi, quod illis inuicem gloriosum: sed ad Gallorum accessit decus; quòd veteranas ferè omnes, & Belgicis bellis exercitatas à multis annis legiones, aut strauerunt, aut sub iugum miserunt; ita vt captiuorum numerus ad sex aut septem ascenderit millia, quod ante illum diem fuerat inauditum. Porrò inter deletas, aut vitam deprecantes copias, quatuor erant Hispanorum legiones præcipuum Belgij robur: tantáque fuit emeritorum militum edita strages; vt re tam malè gesta Legatum suum Rex Catholicus sic affari potuerit: *Vare redde legiones.* Attritis tantis viribus, excisisque belli neruis, sic fracta virtus Hispanorum; vt Galli totam ferè Hannouiam impunè peruagati, postmodum Theonisuillæ oppidum quod vix expugnari posse credebatur, ad deditioné intra duos menses compulerint: vnde nòn exigua nomini Gallico; sed imprimis Duci Anguyano sanguine Regio dignissimo Principi, tam in pugna, quàm in obsidione exercitui Gallico imperanti accessit gloria.

Hiſpanis ad virium & conſiliorum inopiam redactis, erigere ſe anno ſequenti nequiuit Belgium. Spectauit otioſus qui ſupererat miles expugnationem Grauelingæ munitiſſimi Prouinciæ Flandriæ, hactenus intactæ oppidi; in cuius oppugnatione ſicut probauit Gallia parum ſibi detrimenti apud Rupem Regiam illatum, & inuictam conſtantiam, cum prudentia coniunctam, præ ſe tulit Dux Aurelianenſis Regis patruus, penes quem erat ſummum armorum imperium; ſic nihil tentans Hiſpanus patefecit, in quantum diſcrimen res Belgicas annus ſuperior adduxiſſet. Vt verò vice verſa (ſi per bilem licet) perpendat Monitor leuitatem iacturæ, quam Galli paſſi ſunt ante Durlingam; reuocet in memoriam poſt ſex menſes Gallos, maioribus viribus, & animis Rhenum traieciſſe: primùm campo, & caſtris, tum hybernis ſtationibus Cæſareos pepuliſſe, atque adeo totius ferè Germaniæ præcipuam arcem Philiſburgum, olim dolis interceptam, aperta vi intra paucos dies recepiſſe. Quærat ergo extra Europam hominem Criticus, quem inducat vt credat, anno præterito in Belgio, & in Germania internecione deletos Gallos, eóſque qui Galliæ potentiam, & Gallis fortitudinem tribuunt eſſe meros Thrazones, & milites glorioſos, qui ſub Bombamacide in campis Gurguſtidoniis ſtipendia meruerint: imò iam Gallicum robur, vt alterum Enceladum Iouis fulmine præcipitem actum, Ætnæ vaſta mole teneri. Nos ad alia Monitoris

non minus absurda commenta properemus.

Tam malus coniector, quàm ignarus Historicus auguratur, & scribit: *Ideo æstimatam fuisse Regis nostri potentiam, vt demonstraretur. affectata in Germaniæ Principes dominatio, quos suæ magnitudinis iam veluti pedissequos, & tributarios faciebat.* Nihil proferam de dicendi genere humili, & reuera pedissequo: sed quis nisi motæ mentis homo concludat, ex tribus verbulis Epistolæ insertis ad Galliæ commendationem, elici coniecturam; Galliæ Regem apud se decreuisse Principes Imperij, quorum amicitiam, & fœdera colit, vilissimæ conditioni pedissequorum velle addicere. Dicat impotens homo, aut Adonibezech & septuaginta Regum, aut Saporis & Valeriani, aut Tamerlanis & Baiazethi tragœdias reuocare velle Regem Christianissimum. Sed à pedissequis transit ad tributarios; vt quod Turcarum imponit crudelitas Gallicæ impingat benignitati, quæ nec admittit, nec admissura est vnquam tributarios. Mirandum certè quomodo hunc blateronem ferant Germani Principes, nec à suis expellant finibus nebulonem, qui prophanis vocibus eorum sic lacessit dignitatem; vt illis pedissequorum interminetur seruitutem.

Vt omnia quæ Germaniam spectant attexamus: addit Criticus, vel ex eo colligi contemni Germanos à Galliæ Rege; quòd *Diæta Ratisbonensi contumeliosè responderit per Boutillerium*, quem Status Gallici tunc Secretarium, & adhuc superstitem

dominũ vocare dedignatur. Sed quæ maledicendi ratio Deus bone? certè nec Rex Christianissimus Ludouicus XIII. nouerat contumeliosè scribere, nec per alium dici potest scripsisse, quod munierat syngrapha, sigillóque: Cur ergo qui Regi à secretis erat, contempti Cæsaris Germaniæque spretæ reus peragitur, si Domini sui obsequebatur imperiis, qui si genio suo concepit Epistolam, eam sanè ingeniosè, & prudenter conscripsit: cùm verò conscio Rege confecta sit; quomodo à tanto Principe contumeliæ prodiissent, quæ in illum reciderent magnæ, si vel paruis magnos Principes affecisset. Sed aliquid de Epistola debuit adducere Monitor, ex quo innotesceret aliquid expressum stilo Regio fortiori, & à communi remoto censeri conuitium, apud iniquum rerum, & verborum æstimatorem. In istis minus sapit Criticus, sed in aliis quæ subiungam vsque ad furorem insanit: Imprimis cùm in litteris Legatorum, quæ nec cominus, nec eminus, nec clam, nec palam Austriacos Principes attingunt, asserit crudeles nuncupari.

Quanta id facerent imprudentia Legati pacis arbitri, animorum conciliatores, & quàm atrociter crudelitatem Austriacis imponendo læderent Reginam Regentem nostram, quæ iniuriam illam suis illatam iniquissimo ferret animo! Etsi enim in iis quæ filij charissimi decus, & commodum spectant proximior sanguis euincat remotiorem, & amoris manu materna viscera validiùs in ius

ſuũ trahat: etſi cedant apud optimam, & æquiſſimã parentem, fratrum, & cognatorum vtilitates prolis vtilitatibus, nec ſolùm parta tueatur fortiter; ſed prudenter etiam efficere velit, vt ex pace conſequatur aliquid Gallia, quod magnas belli æquare poſſit impenſas; non tamen immunes à pœna ferre poſſet atroces in ſuæ gentis Principes contumelias, nec conuitiis eorum ſacras perſonas à Gallis quos regit proſcindi ſineret. Quotquot verò ſapiunt inter nos, (ſunt autem plurimi,) tantum abeſt vt crudelitatem affigant Auſtriacis; quin potiùs aliquam agnoſcunt in exigendis ſuppliciis ſeueritatis laxiorem temperantiam, & in condonandis criminibus remiſſam diſciplinam: in eo maximè, quòd Monitorem ineptum, & improbum non ſolùm impunem ferant; ſed magnis rebus quibus omnino impar eſt addicant. At ſi nobis Chriſtianis Chriſtianiſſimi Regis ſubditis vellicat aurem effatum illud ſacræ Paginæ. *Diis non detrahes*: certè nobis etiam permoleſtum eſt, cùm *Principi populi noſtri maledicitur*: vt fit cùm effrenato calamo ſcribit Monitor, *Ludouicum vndecimũ, Mariæ Burgundicæ pupillæ ſuæ* [illegible]*pilaſſe hæreditatem*. Quod eſt potentiſſimum Regem conuertere in prædonem imbellem, & Regnum ipſius remota iuſtitia, magnum efficere latrocinium.

Exod. 22. Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.

Gens etiam noſtra, cui ſtudium gloriæ à natura inditum eſt, impatientiùs excipit hæc congeſta furioſi hominis epitheta. *Galli mimi, hiſtriones, ſimiæ deſultoriæ, funambuli, circulatores.* Eus, tu non

Septipes Burgundio, qui in pedes te erigens inſtar mulierculæ cauponariæ rabie percitæ, ſic deblateras. Ex qua Textoris officina tot præclara epitheta deprompſiſti? Quid tu relicta quondam patria, inter tot ſimias, ſi quid habes litteraturæ perdidiciſti Bituricæ? Quid tu Pariſiis etiam inter funambulos circulatores tandiu verſatus es; vt comitatem ſi poſſes, & morum honeſtatem ab illis emendicares? Sic gratiam reddis tuis inſtitutoribus? vt in mimorum, hiſtrionum, ſimiarum, funambulorum, & circulatorum Proteos illorum nomen inuertas. Vnde ergo tibi aliàs erga nos tam præclarum ſtudium? An quòd bellè cum Gallis ſimiam ageres, nuces enucleares; fumum, fucúmque circulator venderes; funambulus te ſuſpenderes, vibrares, librares. Noli quæſo procliuem ad noſtram viuendi conſuetudinem animum, dicteriis illis obtegere; ne te aliquando ſimiam deprehendant Hiſpani. Quid niteris garrula dicacitate benemeritam de te gentem laceſſere, homo fama naufragus, & impar mediocribus Gallorum ingeniis. Inter illos pietas Chriſtiana, exquiſita doctrina, ſancta æquitas, nobilis ſtrenuitas, vrbanitas ingenua, ingenioſa induſtria, ſi alicubi gentium vigent, & florent. Nec tua procacitas Galliam magis lædit, quàm Hiſpaniam, cui verteretur in ſummum dedecus; ſi à ſimiis, ab hiſtrionibus, à funambulis, & à circulatoribus debellaretur.

Illa tua maledicendi licentia, & canina facundia,

quæ

quæ obuios omnes, non tam dente figit quàm importuno latratu inquietat. In D. Bruſlard de Leon, & P. Ioſephum incurrit. Eos Ratiſbonæ dicis fuiſſe *perſonatos Legatos*. Neſcit homo nouus, aliam perſonam à priuata induendam eſſe Legatis omnibus; ita vt multis mirum ſit quomodo riſum contineant oratores cùm ſibi occurrunt laruati. Et tu amice perſonatus es; cùm Gallos quos amas deprimis, cùm Hiſpanos quos odiſti extollis, cùm Germanis quos ſpernis blandiris: cùm chartas ineptas ſerium agens ſpargis; cùm thraſo conſiliarium ſtatus induis. Certè Pantomimus es, quamuis non prodeas in ſcenam vario, & ſtricto veſtitus, petaſo tectus, farina perlitus, ligneo vel plumbeo mucrone digladians cum vmbris, ad nates cinctus, larua, barbáque ridiculus. Quid tu audes perſonam aliam quàm Legati grauis, & cauti affigere D. Bruſlard Conſilij ſanctioris Gallici decano meritiſſimo? quem clari natales, honores ampliſſimi in patria geſti, obitæ foris cum laude magnæ Legationes, morum inſignis honeſtas, & ſingularis prudentia ſpectabilem nobis, exteriſque fecerunt. De P. verò Ioſepho quid aliud dicam, niſi perperam à te *ſatrapæ* titulo, ſæculo militantem monachum deſignari.

Euocat me ab iſtis nugis, tam craſſa Moniroris inſcitia; vt pleroſque Gallos pudeat, non apud nos excultum fuiſſe; ſed inter nos aliquandiu verſatum hominem, qui non ex ſcholis, non ex pulpitis, non ex illuſtris Senatus ſubſelliis; ſed ex aratris,

imò è ſyluis, imò ex antris prodire videatur, exacta inter agreſtes, vel Corybantas, vel Faunos, adoleſcentia. Quis credat niſi creditum typis legat, virum quem litterulis litteratus pater imbui voluit, tam leuiter intinctum; vt ſcripſerit *tandiu apud Gallos duraſſe Imperium, quandiu Caroli Magni progenies durauit, & quandiu ex Othonum ſtirpe aliqui reperti ſunt in Imperialem dignitatem conſcendiſſe.* Idem de Augusti, Conſtantis, & Gratiani aſſeuerat gente. Imò *Gallicum ipſum Regnum ab electiuo hæreditarium factum.*

Hîc ego compellabo Criticum. Num Carolus quartus Rex Galliæ, num Ludouicus quartus vulgò Tranſmarinus, num Lotharius, num Ludouicus quintus Reges noſtri, num Carolus Dux Lotharingiæ fuerint de ſtirpe recta Caroli Magni. Si primum excludere ab imperio potuit ignauia ſeriùs detecta; cùm ſub Regni initia fortis videretur: certè filius Ludouicus, & ſapiebat, & ſtrenuus habebatur. Succeſſit Lotharius Ludouici filius ex Gerberga ſorore Othonis primi, qui filio parare maluit Imperium quàm reſtituere nepoti. Prætereo Ludouicum quintum, qui vno duntaxat regnauit anno: ſed inquiram, quid excluſerit ab Imperio Carolum Lotharingum, qui inter Principes Imperij cenſebatur, & cui quòd magis addictus eſſet Germaniæ, quàm rebus ipſius cõueniret, probro datum eſt à Gallis, & magno detrimento fuit; vnde profectò debuit Imperio commendari.

Riſum verò teneatis amici amico Critico de

Othonibus sermonem habente. Credidit Othonum stirpem defecisse, remanentibus Saxoniæ Ducibus (notandum enim stirpis quo vtitur vocabulum.) Existimauit proculdubio Monitor Othones esse Gentilitium nomen alicuius familiæ Germanicæ, non propria nomina Imperatorum è Ducibus Saxonum, à quibus adhuc vigentibus ad Bauaros translatum est Imperium. Non ergo remansit apud Othones, id est apud Saxones Imperium quandiu aliquis de eadem stirpe superfuit; cùm etiam hodie superstites sint sine Imperio Saxones. Profectò noster Criticus, qui in Germania per quinque, aut sex annos deguit, Germaniæ nullos euoluit annales, quos tamen vt à multis quæ passim occurrere possent cõtrouersiis sese quoquomodo eius garrulitas expediret, saltem perfunctoriè debuit percurrere. Cùm sit enim magnæ Legationis assessor litterarius, de iis quæ possunt equites effugere, respondendi negotium incumbit illi, quem in abstrusioribus oraculum, in ambiguis interpretem agere conuenit. Ab his tamen se faciliùs extricaret D. Didacus de Zauedra eques sanè eruditus, quem non credimus libellum recensuisse Critici, antequam prælo committeretur.

Quid sperandum est à Monitoris turbido ingenio, à præcipiti iudicio, à confusa memoria, & à profligata inscitia, quam affectatam crederent qui minus hominem nossent? Quid quæso ineptius, & Austriacis Principib⁹ contumeliosius, quã probare velle Imperio conuenire vt sint Cæsares Austriaci,

quandiu aliquis de eorum ſtirpe ſupererit : *Quia Romanum Imperium ab Auguſti familia, niſi cum gente Cæſarum non receſſit.* Dij veſtram fidem? Iulius Auguſtum adoptauit, Auguſtus Tiberium, Tiberius Caligulam : Claudius à militibus, maximè à prætorianis, Imperator proclamatus, Nero à Claudio adſcitus; cæteri à militibus tumultuariò euecti, deiecti, trucidati, tracti, diſcerpti : quid hæc tam confuſa, & turbida ad Bullæ aureæ claras, perennes, conſtantéſque leges, quibus ſtandum eſt in Cæſarum electione? Adducit etiam ſcriptor Conſtantij gentem, quæ per annos 90. Imperio præfuit; quod vel parentum renunciatione recepit, vel per multas cædes inuaſit, vel per militum inſanos inſultus occupauit. Quid hæc quæſo faciunt ad Imperij Germanici, vt nunc eſt conſtitutionem? Addit Criticus, & Gratiani domum, quã à Valentiniano qui caput extitit debuit auſpicari. Prætermiſit Theodoſij Hiſpani, & Iuſtini Dalmatæ genus; quod primùm commotæ menti occurrit, calamo commiſit, ſcriptis conſignauit, mundo, & ſæculis edidit. Non quæ legit, excerpſit, & expendit; ſed quæ aliàs decurſim excepit, & fortè in conuiuio credulis auribus ebibit; in magnum Imperatoris diſpendium, & ingens Imperij dedecus æternis credidit monumentis. Nec illi occurrit ſe ſobrium aliquem Gallum excitaturum, ad cuius cantum vtinam reſipiſcat. Quamquam ille nos alicubi *Gallinas* vocat; cùm magno ſuo incommodo ſenſerit eſſe Gallos.

Quod ait *electiuum fuisse aliàs Regnum Gallicum.* Existimo certè, non aliam fuisse nascentis nostri regni conditionem quàm cæterorum omnium, quæ successione propagantur; cùm ab Electione cœperunt: fieri enim aliter nequit, cùm sint populi Regibus antiquiores. Sed fortè de solo Regno Gallico potest asseri, secundum Regem à primo constitutum: refert enim quem iam attuli Agathias, consuetudinis apud Gallos fuisse; *Vt à parentibus filij Regnum susciperent.* Certè successio ita solemnis, & rata est apud nos; vt fœminæ omnes per mares excludantur: nec cùm Reges inaugurantur, vllus aut procerum, aut populi requiratur assensus: sed fausta duntaxat acclamatio nouum Regem excipiat, quem Deus parentibus, parentes dederint Regno.

Vbi se in eas quas attigimus ineptias effudit Monitor, in his verbis nugatur: *Est Imperium mulier sine dote, nomen maiestatis, & splendoris, non verò vtilitatis, & opulentiæ: nullam Prouinciam, neque vrbem, neque arcem, neque domum in toto Imperio hoc nomine obtinet Imperator.* An probabit Imperium, quod mulierem simpliciter nuncupas? An arridebit Imperatori si nihil vxori dotis adscribas? Tu ergo Imperij ditionum collationes, (si tributa dici nolis) locum dotis obtinere non admittis? nomen ergo si occurrit honestum impone. Si tot vrbes quæ parent Imperatori, si arces in quas immittit præsidia nullius pretij, vel momenti sunt, equidem minoris facere non potes. Sed non existimat

Monitor Imperatori commodum esse quicquid vel precariò regit, vel suis in perpetuum non acquirit: quàm prudenter hæc scribat, iudicio Imperatoris, & Imperij procerum censeo permittendú. Nos veriùs proferemus: nihil olim cum Imperio ad Reges nostros accessisse nisi nomen: imò certè multa Imperio sunt à Francis adiuncta, quæ priùs ad Reges nostros hæreditario iure pertinebant. Erant ferè vniuersa Germania, magna pars Italiæ, & Hispaniæ Regni Gallici; cùm delatum est Imperium Occidentis Carolo Magno. Quomodo verò cum Imperio tot, tantisque Prouinciis excidérimus, non est huius loci prosequi. Satis est si intelligat Criticus dotis duarum vxorum decoctor, se ineptissimum esse mortalium, cùm ait Imperium esse ita tenuem virginem, aut viduam; vt dote Gentilitia carens debeat vitæ commeatum à viro cui nubit emendicare. Sciat Monitor à Galliæ Regibus Principem illam fœminam (sic enim honoris causa nuncupo) splendidissimè dotatam fuisse, tota ferè Germania illi in numerum dotis derelicta.

Sed tacitus præterire nequeo, quod tanquam de tripode, non sacra sed culinaria Criticus pronunciat, *nequaquam inter Gallos annumerandum Carolum Magnum*, quem ideo Germanum fuisse asserit; vt inducat hanc falsitatem, *Carolum Magnum Imperatorem duntaxat nomine Regnum Galliæ obtinuisse.* O profligatè impudentem hominem! constat omnium scriptorum fide, Carolum Magnum

antè Regem extitisse Galliæ quàm illi deferretur Imperium: ad Regnum à patre Pipino illi relictum peruenisse, iure Gallico, id est naturæ; Imperium verò postmodum summi Pontificis Romani precibus inductum suscepisse. Tanti autem ille fecit Francorum Regnum, vt multa eius diplomata Francorum Regis titulum Germanorum Imperatori anteponant. Quod verò passim Germanus, imò & Burgundio vocetur Carolus, ex eo prodit; quod antè annotauimus; nempe quia gentium Francicæ, Germanicæ, & Burgundicæ sicut vnum genus, ità & vnum nomen erat apud antiquos auctores.

Nec in iis immoror euertendis, quæ non impulsa corruunt, & Criticum obruunt: ad alia me conuerto. *Gallos ait immanium vectigalium ferre iugum;* sed ferunt, nec succumbunt, sed amant eum pro quo facultatibus exhauriuntur, & pro quo sanguinem effundunt Regem: quod illis ingenitum esse testatur Baptista Egnatius à Gallis extraneus. Quod ais *in Gallia populum duriori conditione quàm bruta animalia lucis vsura frui;* pace legentium dicam imponis: nullus hostis à focis patriis exegit Gallos, nisi fortè paucissimos in extremis finibus. Aluntur magna ex parte Gallorum exercitus aduersariorum dispendio. Qui conflatur apud nos miles, per certas stationes annonam indictam accipit, nec à rusticis extorquet. Quantum eius patiuntur mores, minore damno Galliam peretrat: cùm vestrorum in Germania, Hispania, *Baptista Egnatius.*

Italia, & Belgio huc illúcque concursatio, nihil aliud sit quàm depopulatio. Intercipit apud vos defensorem offensor; vt iuxta Prophetam, *residuum erucæ comedat locusta.* De iis tributis quæ vulgò contributiones vocatis vobis, & aduersariis vestris persoluendis quid proferam? Stationes verò hybernas, quas copiis etiam in castris hærentibus adscribitis, quid aliud dicam nisi solitudines passim adducere; cùm eas pecunias qui exigunt, domos relictas incendiis, cultas rapinis deuastant? Quid de ingentibus summis, quæ redemptionis illarum stationum nomine penduntur ab vrbibus, oppidis, & pagis: cùm nec in vestra potestate, nec in voluntate sit imponere illis præsidia, quæ vix finibus sufficiunt muniendis? Quid si adiungam in alios vsus quàm in stipendia militis ex inopia grassantis collationum interuersiones; vnde tot querelæ ciuium, qui eam quam omnibus fortunis emunt clientelam non assequûtur. Vnde apud vos disciplinæ militaris modus planè prostratus? vnde in tua Burgundia quondam instituta in rusticos venatio, & à quibus, à Gallis, an à vestris? Vnde tuæ patriæ vastitas? nisi ab auxiliaribus Lotharingis, & Croatis; Vnde apud vos cùm census à miseris recessit, capitatio non recedit? Vnde apud vos menstruæ ex animantibus, & ex aratris, quæ sacrosancta legibus sunt exactæ pensitationes? Miseret Monitorem Galliæ, nec ad patriam commouetur afflictissimam, cúmque nostris fœlicitatibus apud se inuideat, commiserationem foris mentitur.

Ioelis 1.

Ait

¶ Ait *non eximi apud nos à vectigalibus Ecclesiasticos, & nobiles.* Certè non meretur vectigalium nomen quod sponte clerus Gallicus confert in Regis sui decus: nec detrahitur nobilium immunitatibus, si vetera tributa non pendunt cum plebe; sed illud quod vulgò appellatur bellicum subsidium ferunt hi, qui ad bella non prodeunt. Nouæ sunt fateor apud nos rationes conflandæ pecuniæ; sed honesti quantum fieri potest habetur ratio, nec imposterum exosæ erunt huiusmodi institutiones: cùm à commodioribus exigentur quæ lautiori detrahent genio; vt ad pacis vtilitatem hostes perducamus.

Vt nihil Criticus intactum relinquat, nobis etiam vitio vertit, *quòd apud nos vt officiorum, sic & beneficiorum sit nundinatio.* Beneficia Ecclesiastica non est quòd cum officiis confundat; illa enim apud Gallos minus quàm apud cæteras gentes venalia fiunt. Si quid clam agitatum contra Ecclesiæ leges, legibus Regni seueriùs vindicatur, excidúntque beneficiis emptor, & venditor. Quod ad venalem Magistratum attinet, dolendum fateor, nisi compensaretur vtilitate publica. Hæc in eo potissimum, quòd priuatis commodis deuinctus Magistratus, arctiùs hæreat Principi, & fortiùs in officio contineat plebes. Non tamen sine delectu, & examine præuio iudices adleguntur. Hi quos *Senatores pueros* Criticus vocat, sæpiùs maturos annos præceperunt sapientia, vel maiorum meritis anteuerterunt. Nec est quòd inde nos carpat

Monitor; cùm citra omnem noſtrorum adulationem aſſeuerabo; nullum inter iuuenes Gallorum Senatores reperiendum, qui non ſcientia, & ſapientia multis partibus antecedat veteranum actorem Catholicum, & nuperum Politicum Conſiliarium Monitorem.

Quod dicit *in Gallia non eſſe liberas hominum cogitationes, multo minus voces, & ſcripta*, fallitur; cùm nullibi gentium liberiùs, laxiùs, & latiùs excurrant hæc tria; vt ipſemet Criticus ſcire, audire, & legere potuit dum in Gallia verſaretur. Quis enim cogitationibus hominum modum ponat, linguis Francorum frænum iniiciat, & calamos contineat tot ſcripturientium, quos vt Monitorem tenet, proſa, vorſáque ſcribendi pruriens tentigo, & dirum cacohetes. Sed monſtro ſimile, quod moleſtiùs ferat Criticus, in Gallia damnari ſcripta: *Imprimis quòd exterorum libri, in quos*, inquit, *ius nullum habet Gallia, carnificis manu lacerentur, vel hac tantùm ratione; quòd omni tempore, & in omnibus ſcholis agitatam de Tyrannicidio quæſtionem, obiter, & genericè attingant; quaſi ſuos Reges hoc nomine deſignari vltores Galli faterentur.* Hîc dubito vtrum improbitas amentiam in Monitore ſuperet. Primam notabo, in eo quòd libros famoſos, vel impios vitam Regum, id eſt communem ſpiritum, quem tot millia ducunt, in diſcrimen adducentes damnari vetet, quia exterorum ſunt portentoſi fœtus. Egregiam planè rationem comminiſcitur hic homo, parcendum eſſe talibus ſcriptis, quia ſunt

peregrina, etsi noxia. Sic liceat feris peregrinis homines, & armenta malè depasci, domestici duntaxat canes mactentur cùm efferantur in diram rabiem: venena propinentur, si aliunde importentur, si apud nos creuerint effundantur. Ea lege Dolam Burgundionum inferantur eorum scripta, qui malè in relligione sentiunt, nec statim vt moris est carnifici, tradantur comburenda; sed si vel Basileæ, vel Geneuæ confecta, propter reuerentiam singularem, quæ præstanda est externis, legenda permittantur. Vnde ergo apud vos non austera seueritas, sed prudens, & pia cautela creditur, libros qui inuehuntur venales seriò excutere, suspendere suspectos, reprobare dubios, igni tradere perniciem, vel relligioni, vel moribus allaturos: imò quod peculiare est in Senatu Burgundię Comitatus; si qui se intrudāt noui dogmatis auctores exterminantur, aut carceri mancipantur; ciues verò qui libros contrariæ in fide sententiæ tractauerint scientes, vel clam ad lucrum distraxerint, fortunis euertuntur, capite plectuntur. Quid est ergo quod in consiliis Gallicis tantopere exhorreat Criticus: Galliæ duobus Regibus nostris proh scelus à nefariis parricidis praua relligione imbutis iam miserè trucidatis; si Principum suorum vitæ prospiciens Senatus, eorum scripta damnat incendio, qui Christum Domini in vitæ discrimen adducunt? Profectò id non possunt vitio vertere, nisi qui Reges nostros omnes extinctos vellēt iis artibus, quibus iam duos peremerūt.

Vnde nobis contra Monitorem sacræ Regum nostrorum personæ insidias molientem expostulãdi locus esset apud Cæsarem, & Regem Catholicum: cũ hęc non possit scribere, nisi qui velit perpetrare.

Nec est quòd improbitati speciem obtendat, cùm ait, *impeti à nostris Legatis in Epistola personam Imperatoris;* cùm ne quidem attingant dignitatem. Eam verò quanta violat audacia Monitor in Rege nostro Ludouico XIII. nuper Regno apud nos, vitáquę defuncto; dum eum crudelitatis infamat, recensens eos omnes cum quibus sub illius imperio, seueriùs actum videtur. Vt longiorem producat seriem eorum, qui ob rationes notas, vel ignotas aliquid sinistri perpessi, vel extremo supplicio affecti sunt; adiungit numero Marchionem de Boutheuille, & Comitem de Capella: cùm isti prępósteræ illius fortitudinis, quæ nobiles Gallos in singularia certamina præcipites agit errore correpti; ob confectum in Regia platea Parisiensi, ferè in Regis conspectu duellum sint capite mulctati; vt multi ab hac animorum intemperie auertetentur. Hæc certè exempla cuncti propemodum Galli ægerrimè tulere, ob virorum illustres natales, & præclaram indolẽ; nemo verò etiam consanguineorum, qui supplicium deprecati sunt, non iure plexos existimauit. Sic noster Criticus vt suum impleat Martyrologium, aut potiùs à luna quæ illi præsidet menologium, aliquos adscripsit meritò dãnatos: sic non abest ab illis superstitione laborantibus Christianis, quibus exprobrat

Eunapius; quòd in ſacrorum Martyrum numerum, obuios quoſque prædones, vel ſicarios crucibus ſuffixos, vel ſudibus adactos referrent. Nouerit cenſor humana Gallorum viſcera ingemuiſſe caſibus illorum, qui exactis grauioribus temporibus, & diuina benignitate in leuiora mutatis, duriorem experti ſunt fortunam: Dicere verò nunc libet cum magno Seneca: *Iam apud nos verecundiam peccandi facit ipſa clementia regentis.* Sed ob res quæ nuper apud nos contigerunt, non eſt quòd probro aliquid vertant vniuerſæ genti Gallicæ, aut noſtris Regibus aduerſarij, quorum ſi annales euoluere, vel ſi ea quæ memoria tenemus recenſere mens nobis eſſet; ingens confici poſſet Catalogus procerum, qui vel euerſi fortunis, vel in carceres detruſi, vel ab aulis exulare iuſſi, vel ex officiis deturbati, vel infamia notati, vel capite diminuti, vel truncati: ſed nos æquiores Critico, qui cenſorem agit Galliæ, & ſe in arbitrum mundi erigit, ea quæ vicini Principes, ad familiæ, vel aulæ, vel regni tranquillitatem ſeueriùs exequi videntur, aut non inquirimus curioſi, aut non ſugillamus inuidi, aut non amplificamus contumelioſi: ne apud nos malè de magnis Principibus ſentire, vel apud ſubditos odium eorum conſiliis conflare contingat; ſi omnes qui Principum excidunt gratia, iudicauerimus innocentes; vt inter nocentes ſoli conſtituantur Principes.

Seneca lib. 1. de clementia.

Eadem, imò maiori certè animi petulantia, qui Regis noſtri nuper fato functi conſilia damnat;

Reginæ nostræ; quam eximia pietas, cum singulari prudentia commendat, rationes suspectas nobis facere; sed frustra contendit. Crimen apud iniquum æstimatorem, & infensissimum non solùm Gallici Regni, sed & nominis hostem est; à Regina in consilium adhiberi hominem extraneum. Vt maiorem inuidiam conciliet, adducit scripturam sacram; nosque per sapientem insi-

Eccl. 49. v. 7.

pientiæ conuictos existimat, si dicat. Galli *dederunt Regnum suum, & gloriam suam alienigenæ.* In quo prophanus homo verba, & sensum sanctæ paginæ, quæ sine sacrilegio inuerti non potest, ausu nefario violauit; vt ad id quod intenderat non modò flecteret, sed torqueret. Hoc ordine diuina verba Latinus vulgaris reddit interpres. *Dederunt enim regnum, & gloriam suam alienigenæ genti.* Ea verò mente id protulit Sapiens; vt exprobraret Regibus Iuda, eorum peccatis contingere; vt ad alienas gentes eorum transirent ditiones; sed nequaquam ad consilium extraneorum hominum repellendum locus ille conuerti potest, nisi à prophanatore Scripturæ sacræ. Hanc si euoluisset Criticus, laudari alienigenarum à Christo compertisset gratitudinem, & charitatem. In veteri verò lege Ioseph peregrinus Ægypto, saluator Ægypti meruit nuncupari. Certè tantum qui eiecisset consiliarium, salutem publicā exclusisset cum annona, sapientiam eliminasset cum temperantia. Nec nos Galliæ tutelā omnem extraneo credidimus, quasi ex arbitratu eius Respublica nostra ita sit cōstituta;

vt nobis ſtoliditate quadam animi ſtupentibus, gloriam noſtram omnem cum opibus ad ſe tranſferat. Audi quod tibi futurum eſt iniucundum Critice; quia æquum eſt, vt cùm dixeris quæ volueris, intelligas quæ nequaquam velis. Apud Gallos (quos cum Saluiano nuncupauimus hoſpitales) nullus qui præclaris animi dotibus præditus ſit, cenſetur peregrinus; quia nobis virtus omnis non ciuis modò, ſed domeſtica eſt. Nunquam legiſti apud Caſſiodorum. *Non iudicari poteſt extraneus, qui bonarum artium eſt alumnus.* Eccleſiæ verò Cardinales vbicumque Eccleſia eſt (viget autem in Gallia quàm maximè) Regnorum ſunt proceres; quia Regni Dei ſunt Principes. Addes, quia Roma patria Chriſtianorum communis, recipit omnes Chriſtianos in ciues; æquum eſt, vt totus orbis Chriſtianus admittat in ciues omnes Romanos. Maximè verò nobiles nobilis Gallia, maximè ingenioſos ingenioſa Gallia, maximè prudentes prudens Gallia ſolet amplecti. Non prætèribo, malè à te dignitate Gallum nominari eum quem affectu Gallum dicere noluiſti; cùm Eminentiſſima dignitate ſit purpuratus Romanus; ſtudio verò noſtrum eſſe magno noſtro prouentu ſentimus. Quia Caſſiodorum adduximus, ſic apud illum Theodoricus Rex de Arthemidoro Græco in Senatum Romanum adſcito. *Hic enim vir qui genitalis ſoli relicta dulcedine nobis maluit inhærere, & licèt eſſet clarus in patria, noſtram tamen maluit ſubire fortunam, ſuperans gratiæ magnitudine vim naturæ.*

Caſſiod. lib. 3. var. Epiſt. 33.

Caſſiod. lib. 1. var. Epiſt. 39. Nulli ſit ingrata Roma quæ dici non poteſt aliena.

Idē Caſſiod. li. 2. Epiſt. 3. De Fœlice Gallo ad Cõſulatum euecto legit Roma frequenter faſces de mœnibus Gallicanis, ne aut in damno ſuo præcipua contemneret, aut probata virtus inhonora ceſſaret.

Caſſiod. lib. 1. var. Epiſt. 43.

Ignorat censor, Reges Galliæ prima Regni, & aulæ officia plerisque commisisse extraneis. In iis fuere Comites stabuli; id est primi in armorum imperiis. In iis etiam in eodem imperio secundi Franciæ Marescalli plures. Maris aliqui summi præfecti, vulgò Admirallij. Quod mireris Hispanum vnum Comitem stabuli inuenies: cæteri fuerunt Neapolitani, Insubres, Etrusci, Scoti, Veneti, Corsici. Reperies etiam Senatus Parisiensis Principem origine Romanum. Quod maius est, Mediolanensi stirpe Cardinalis supremam dignitatem Cancellarij, & sacrosanctum Regiæ fidei pignus sigillum tenuit. Hos recenserem nominatim ad summos honores à Regibus nostris euectos, nisi tibi negotium facessere vellem disquirendi, si mendacij me conuictum velis. Quid ergo carpis in Regina nostra quod frequentissimum apud nos Regum nostrorum prudentia, & benignitas esse voluerunt. Addam citra omnem adulationem nullum extraneum ante illum quem indicas, tanta ratione, & fœlicitate nostris adscriptú: cùm libero, & singulari studio Galliam prior ipse delegisset, eique quod fidem probat, amicissimus auxiliarius fuisset, antequam fieret prudentissimus consiliarius.

At fortè Criticus, & ij quibus opellam locat; ex quodam commiserationis humanæ, & Christianæ charitatis sensu; aut imprudentem, aut improbum à nobis remouere satagunt. Sed quis erit tam vecors, vt id in animum inducat suum:

Quin-

Quinimo nobis eius conuenire consilia ex eo comperimus quòd non solùm aperto conatu; sed occultis insidiis, etiam eius vitæ structis, & improbis calumniis hostes nostri nobis illum eripere contendant; ipsi infesti, quia nobis infensi. Angit eos post Galliæ mutata consilia, illius non modò seruata sed promota prosperitas. Victoria ad Rupem Regiam parta, Theonisuilla expugnata, occupata Grauelinga. Rheni bona pars asserta cum Philisburgo, Rosa Hispanica decerpta, Insubria delibata, Leo Flandricus terræ, maris, & fluminum repagulis inclusus, Treuirensis Elector quod Gallia cōdixerat solio suo redditus. Hæc & alia quæ recēsere longum esset intra biennium confecta, dum

Hispani in tanto discrimine consultabant.

Hæc non arrident aduersariis, qui idcirco reiici, & exterminari vellent consiliarios, à quibus consilia tam opportuna nobis, quàm hostibus nostris importuna dimanarunt.

Certè si ab effectis causas discernere debemus, vt ex fructibus arbores dignoscimus, quis non credet fœlicē fuisse illam causam, quæ non vnam sed multas Galliæ peperit fœlicitates, eámque nobis excolendam esse bonorum radicem, quam æmuli nostri vellent funditus extirpatam. Cui potissimum gratuletur Gallia, quàm Reginæ sapientissimæ, aut in quo magis glorietur illa quàm in delectu eius Ministri, qui domus Regiæ tranquillitatem reuocauit, fouit, auxit. Qui Regni concordiæ ita studuit, vt sopitis ob res præteritas

odiis inteſtinis; non aula modò; ſed omnes Prouinciæ pacatæ conquieſcant. Qui inter Principes, & proceres ſi quæ difficultates exoriuntur amicum ſe præbet arbitrum, ne locus fiat exerendæ Regiæ poteſtatis. Qui neque ſuſpicionem incurrit maioris in vnum quàm in alterum propenſionis, quod vix in alium quàm in extraneum cadere poteſt. Qui virtutum, & ſacræ purpuræ ſplendore continet eos quos ægrè vel debilior animus, vel conditio minor coërceret. Qui nec pecuniam noſtram intercipit, nec ſuorum vertit in commodum. Qui probis moribus cautiſque conſiliis, fidem quam ſponte Galliæ dedit, magnificè liberat, & exoluit. Qui ſibi non vendicat auctoritatem; ſed iunctus Regis patruo, & cognato Principibus conſultiſſimis, pro ſua parte ſplendorem Regni, & famam apud exteros non ſolùm ſuſtinet, & conſeruat; ſed amplificat, & illuſtrat. Qui in ea quam non exercet; ſed cum aliis adminiſtrat poteſtate, integerrimam ſeruat morum temperantiam; nec libidinibus obnoxius, nec auaritia rapax, aut ſordidus, nec faſtu inuiſus, nec ſeueritate metuendus. Qui nullum vel conſanguineum, vel affinem Galliæ facultatibus auxerit, aut officiis primariis, aut beneficiis euexerit. niſi crimini detur; quòd vnicum fratrem, maximi Ordinis aliàs electum Generalem, poſteà ſacri Palatij Magiſtrum, id eſt ſummũ Theologorum apicem, in via & merito ad purpuram; ad Archiepiſcopatum Aquenſem illuſtrandum, à Regina paſſus eſt euocari. Qui ſororem

quam innuptam habebat, & quam Galliæ proceres aliqui in vxorem expetebant, Equiti Romano nuper tradiderit, ea conditione qua sorores duas ante Romanam purpuram, & ante Gallicum ministerium collocarat. Qui denique modestiæ, & benignitatis laudes maximas assecutus, in tanta morum innocentia æmulos experitur, non quos iniuria concitat, sed quos proritat inuidia. Inter quos meritò tu censendus es Monitor, qui variè, sed vbique infantiliter ludis in ingenij, & spiritus duplicitate, quæ illi conuenire non potest qui in viuendi constanti ratione, & in consiliorum certa firmitate perstat: cùm dixerit Christi consanguineus Apostolus: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Patere ergo vt fruamur bono nostro, certè bonum nostrum esse persuades, cùm illi oblatras aduersarius; vt vel ex eo omni conatu retinendum censeamus, quia totis viribus diuellere tentas eum, qui de Rege nostro, de Regina nostra, & de Gallia vniuersa bene mereri constituit, quíque otio Romano Gallicas agitationes anteponit. In quo studio non improbitatem modò; sed imprudentiam demonstras; dum nobis commendas quem improbas. Vt tam sanctè sanctam scripturam adducam quàm tu prophanè, monet illa, *ne credas inimico tuo in æternum.*

D. Iac. Epistola c. 1.

Eccl. 12.

Tædet me certè quisquiliarum, & sordium quas Critici agitatum ingenium instar turbinis agglomerat, & conuoluit. Quod ex Tragicomœdiis, Iconibus, statuis, imaginibus, & emblematis in Gallia

excogitatis, exaratis, conflatis, erectis, incisis, depictis, argumenta duci putet politica; cùm pictoribus, atque Poëtis quidlibet audendi semper fuerit æqua potestas. Ludit ipsemet Criticus, sed planè rustica, & inculta Minerua in aulæis Turcicis, & Romanis: rudis & crassus imitator dicacitatis illius quæ olim inscripta est Catholicum Hispanicum. Sed vt nunc Regē, nunc Danum induit histrio; sic Criticus à seriis ad nugas se transfert. Componit se aliquoties in Legatum, & de pace voces interserit, ad ingenium ridiculum citò reditura simia. Colligam quæ sparsit variis locis. Ait *nos improbare per Epistolam tractatum Passauiensem*, qui contrà sub transactionis nomine sic approbatur; vt metum iniiciant Legati, ne à Germanis frustra imploretur. Nec aliter Pragensis Pax refutatur, quàm asserendo in ea Principum aliquorum præsentiam desideratam; vnde illud excitatum incendium, quo in hanc diem misera conflagrat Germania. Adiungit *conscriptores Epistolæ, censores agere Electoralis Collegij;* cùm nec carpant, nec attingant aliquem de proceribus Imperij, quos contrà studioso cultu demereri satagunt. Pergit insanus furor. Asserit *nostros existimare obstupuisse generositatis sensus in Germaniæ Principibus*, quos singulari studio prosequimur; tantùm abest vt aliqua lacessamus iniuria. Nec *præterierunt*, vt ait Criticus, *Legati Ducem Neobargicum*: cùm nullum Principem designarint; nec vnus potuerit omitti, nisi cæterorum facta mentione. Nec aliter

interpellatio facta amnistiæ; nisi quòd hanc obliuionem apud aliquos obliuione sepultam, excitant verbulo Legati. Quod verò loquacis leuitatis sugillat nostros, *quos euulgasse dicit secretò sibi commissâs petitiones*, figmentum est, quod explicare fictor nequeat. At vltimum, quod clamitat *Bullæ aureæ, & aliarum Imperij sanctionum improperatam à nostris ignorantiam, vel auctoribus, vel interpretibus; ad ostendendam aliquam superioritatis imaginem: quo facinore nullum intentis Germanorum lethalius* asseuerat. Non pertinet hoc ad Epistolam quæ cùm Germanis sit perhonorifica, nullius rei; multò minus legum suarum illis inscitiæ notam inurit. Quod autem istam, vel aliquam ignorantiæ *exprobrationem, lethalem futuram intentis Germanorum scribit;* certè risu excipiendus est obscurus ille dicendi modus, quem vult Criticus paci quam in votis habere Germanos credimus esse lethiferum: nec enim videmus quam vim inferret paci apud sapientes verbulum, si quod fortè per imprudentiam excidisset è linguis, vel fluxisset è calamis. Sed quomodo Germaniæ iugulum peteret Bullæ aureæ, quæ duntaxat nominata est interpretatio præpostera, aut qua ratione non solùm læderemus; sed mactaremus Bullæ auctores, qui à trecentis annis fato concesserunt; cùm qui sint, aut qui vocentur nobis sit penitùs inexploratum? Addam, quàm leuibus plagis periret fortis Germania, si vniuersa caderet ex Bullæ aureæ iniquiore expositione? An non potiùs in viscera Galliæ

ferrum adigere, & pacem configere tentat, qui alterius Principis clientem constituit Galliæ Regem? Certè nisi Criticus in amentium numero primus à nobis haberetur; meritò in illum tanquam in patriæ nostræ, & quietis Europæ sicarium exclamaremus. Sed nos contemptum ostendendo magnitudinem animi Gallici præferimus, dum fatuas propositiones, & inepta dicteria, vel constanter insani, vel ad tempus commoti ex ebrietate cerebri, ridentes excipimus.

Dicat qui omnia susdéque vertit furiosus; *in nobis nullum componendarum rerum studium deprehendi*. Id tam futilibus argumentis demonstrare contendat; vt sua exilitate concidant; nec aliter confutanda sint, quàm exponendo. Primò nos à pace auersos esse coniicit malus augur, *ex locorum ad conuentum mutatione*. Quasi verò nec securitatis, nec dignitatis fuerit habenda ratio, nec suggesserit prudentia deligendam vrbem liberam, & minimè ad partis alicuius iniuriam opportunam. Dicam audenter quia verè, multum indulsit Gallia pacis studio, dum Monasterij ditionis Imperij congredi voluit: cùm enim armis Galliæ multa cessissent, sic eius postulatis cedere multos par erat. Secundum crimen: *Legati Gallici Monasterium tendentes ad Batauos diuerterunt, quasi illos cogere vellent ad belli continuationem.* An ergo illos qui nobiscum societatem coïerunt vultis à nobis deseri? An de rebus agendis amicè cum liberis conuenire, est inuitos trahere, & vincula

iniicere? An verò mutatis repentè consiliis, Hollandi Gallos tanquam vis illatæ, & sanctæ hospitalitatis violatæ reos ad actorem Regis Catholici detulerunt; vt contra illos litem institueret? Tertiò; *Propè accinctum itineri Cardinalem Rosseti repudiauit Gallia.*. Hallucinaris Critice, neque accingebatur itineri Cardinalis, neque si accinctus erat est à Gallis discinctus. Quartò, *adduxerunt Galli Lusitanos, & Catalaunos quasi obstacula pacis.* Non institerunt Galli; vt Lusitani, & Catalauni reciperentur in Legatos; sed in rerum suarum actores, & vt sub Gallica clientela Monasterij esse possent; quod semel concessum denuo in quæstionem adduci non debet. Quintò, *multos ad bellum acriùs renouandum commouit Gallia; inter quos ait esse Turcam.* Nihil de suis institutis remisisse Galliam fatemur.. Antiquum effatum est, qui vult pacem paret bellum; sed negamus nos voluisse in Christianos Turcam conuertere. Hîc totam compellamus Europam, quam aduersarij nostri praua imbuere conati sunt opinione, quasi nuper Gallia Turcas in Christianos concitasset. Certè non potuisset id consilij prodire, nisi à conclamata desperatione, ad quam tantum abest vt redactæ sint res Gallorum; vt non solùm illis incertæ spes, sed etiam certæ fœlicitates affulgeant. Verùm ad ea quæ dicturus sum animum aduertite, quicumque in illum errorem induci potuistis, à quo vos eximere ratio debuit. Fortè ad vos peruenerit, vnde occasionem arripuerit Turca exercitũ instruendi,

ad Christianorum fines inuadendos. Scitis ansam bello præbuisse ingentem nauim bellicam expugnatam à Melitensibus triremibus. Vt hoc contingeret; num Galli fingentur auctores illius peregrinationis, quam ad Mahometi cineres instituit superstitiosa Sultana mulier, quæ prolem quã aliqui aiunt esse Otthomannicam deducebat deuouendam; vel vt alij Iudæo more circumcidendam? Num à Gallicis prodiit artibus; vt in nauim illam Melitenses impetum facerent? Num alicuius pernicissimæ volucris remigio delatum est Parisiis Melitam obscurum aliquod imperium? Equidem præerat expeditioni Gallus eques, aderántque alij nostræ gentis nobiles; vt sunt plurimi Melitensi sacræ Militiæ adscripti; sed non deerant Itali, nec fortassis Hispani opimæ intercipiendæ prædæ cum nostris acriter incumbentes. Porrò huius nauis expugnatio, & captiuæ mulieris cum infante Melitam deportatio, & ad portum Cretensem appulsio, Turcam egit in furias: nec Gallicis flatibus hoc excitatum incendium; sed ab amore diris intemperiis exasperato. Hoc impulsore Turca in Christianos imperauit exercitum, quem cùm in remotiorem Melitam duci non sineret tempestas vergens in autumnum, triremibus quibus constabat magna pars Turcicæ classis iniquiorem; cúmque non ignoraret Turca, quanta inuictorum equitum manus, imprimis strenuorum Gallorum ad defensionem Melitæ confluxisset: in Cretam insulã, vt pote sibi obuiam, vniuersum

bel-

belli conuertit apparatum, eò euentu, qui nobis certè molestissimus fuit. In quo negotio age Monitor; quid maledicentia contra Gallos comminisci potest, quod non mendacio fortior ventilet illico, & in auras spargat veritas. Vide quàm impiè, & procaciter tantum impingas scelus Reginæ nostræ piissimæ, Principibus duobus Christianissimis, & sanctæ Ecclesiæ Cardinali. Sed hæ sunt illorum artes, qui cùm speciem duntaxat pietatis, vel ex impietate induant, vel ex superstitione colant; Gallos solidiùs, firmiúsque Christianos, in contemptæ, & proditæ relligionis inuidiam vocare apud credulum popellum, & simpliciores monachos non verentur. Sed de his satis. Sextò ludit pueriliter in vocabulis Monitor: cùm ait *nostras plenipotentias esse omnipotentias, quòd à multis pendeant.* Nec enim pendent nostræ Plenipotentiæ, nisi à Rege nostro, cui minorenni adest bona mater, fida Tutrix, & cauta Regens; cui sunt potissimùm à consiliis Regis patruus, & cognatus Regi regnóque addictissimi, cum Eminentissimo Cardinali Mazarino, probatæ apud nos virtutis, & Franciæ Cancellario, rerum gestarum vsu, & agendarum solertiâ conspicuo. Hi rerum Gallicarum summæ non aliter præsunt, quàm Reginam nostram consiliis iuuando. Hi legibus Gallicis; & regni commodis omnia metientes, priuatam fortunam non audiunt, dum de publica deliberant. Sic immensas cœlo gratias debemus,

quòd noſtris votis maximæ ſpei Regē conceſſerit. Quòd illi præſtet matrem piam, & ſapientem, conſiliarios prudentes, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum obſequentem, regnum tranquillum. Nunquam tamen efficient hæc ſingularia Dei beneficia; vt obſtinatis animis repudiemus pacem, quam etſi concedere noſtrum eſſe credimus; nihil tamen prætermittemus eorum quæ ad Europæ quietem reuocandam, ſaluâ Regis noſtri, & gentis Gallicæ dignitate facere poſſunt. Quomodo enim eſſent à concordiæ ſtudio aliena noſtra conſilia, in tam tenera Regis noſtri ætate, & rebus Gallicis vbique vigentibus? Profectò debent in pacis eſſe ſententia potiſſimùm bello ſuperiores, quibus ſalua ſunt omnia ſua compendia, & aucta decora. Cúmque inferiorum etiam non ſit iniquam belli aleam experiri velle pertinaciùs; breui certè ſperanda eſt ea quam optamus, & quam offerimus tranquillitas. Sic ergo te compello Critice: quare in nobis neglectæ pacis culpa reſideret, ſi iam cōmodum eſt paciſci? quare non potiùs ſecuritati conſulemus, quàm periculis (nonniſi propter gloriam quam iam peperimus neceſſariis) aliquid incertum tentabimus? cùm etiam non ignoremus nos vincere, cùm ſponte cedentes à noſtra benignitate vincimur, aliquid propriæ quieti, & ſimul Reipublicæ Chriſtianæ commodis remittendo. An fortè neſcimus, primum bonorum apud omnes homines eſſe pacem; bellum

verò inter res humanas, vt maximi momenti, ita ſummi eſſe diſcriminis? Turbarum occaſiones quærere non modò imprudentis eſſe, ſed irreligioſi. Eos qui infinitas eſſe volunt diſcordias, & terris ſpem pacis adimunt; hominum cultum in vitam ferarum commutare. An putas nos belli aleam velle perpetuò ludere? an adeo vecordes credis; vt nos lateat fortunam etiam cùm arridet inſidere globo verſatili: bellicam verò non poſſe conſiſtere; cùm ſemper ancipiti loco ſit, & armis duriùs impellatur: frangi facilis, quia vitrea eſt? Si prælia non ſpectantur ſine aliquo periculo, multò maiori certè ineuntur. Agnoſcimus præterea diuinum quiddam eſſe in regnis, quòd vni maior, alteri minor indulgetur fœlicitas, ex qua inſoleſcere ſit nefas, infœlicitate repentinâ plectendum.

Cur ergo refugiemus otium, quod potiùs reiiciunt ij, qui diem de die ex induſtria ducunt; dum rerum nouarum, quas fortaſſis inter nos moliuntur exortum, vel exitum expectant. Nec cogitant in ſingulari pupillos Principes eſſe Dei tutela, terrámque Gallicam cœlo eſſe chariſſimam: Reginam Regentem, Auguſtam noſtram, Filio, & Regno diuinam opem promereri, aſſiduis precibus, vitæ innocentiâ, largitionibus ſacris.

Pro coronide ſit nos Chriſtianos Chriſtianiſſimi Regis ſubditos ſcire, Dei filiam eſſe pacem, & inter Chriſti præcipua munera recenſendam.

Hanc veniens rediénſque generis humani reparator, ſuis non obtulit modò, ſed contulit. Hæc eſt quæ Relligioni ſplendorem adiicit, ſacris ritibus ademptos cultus reſtituit, templa diruta reficit, legibus vim tribuit, vrbes exhauſtas ditat, agros neglectos excolit, omnia quæ belli furor diſſipat, & diſturbat; colligit, & componit. Illam qui amat probus eſt, qui habet fœlix, qui non habet infœlix, qui odit prædo, qui exterminat non Antichriſtianus modò; ſed Antichriſtus, cui non ſolùm viles ſunt Chriſtianorum animæ; ſed propria Chriſti pretioſo cruore cum illis reſtaurata. Si pacem debet retinere voluntas, etiam cùm bellum imperat neceſſitas; multò magis amplectenda eſt cùm offertur; & offerenda vt alios nobiſcum amplectatur. Reuocemus illam Dei optimi maximi prolem; ſed vt diutiùs apud nos hæreat, honeſtati quæ ſecurum & diuturnum otium faciet conſulendum eſt. Ab illa mente vt nunquam diſcedent ſponte Galli; ſic non eſt præſumendum, vllâ vi, aut arte ab iſto conſilio dimoueri poſſe.

Ne ergo apud rerum imperitos, aut denegatæ, aut neglectæ tantæ fœlicitatis reos nos peragat Monitor; cùm ſanctam, & ſempiternam nobis & aduerſariis optemus pacem; priùs certè mitigandæ eſſent acerbitates animorum, quos exaſperaret Criticus; niſi impotentis homuncionis petulantiam noſtrâ indignam indignatione cenſe-

remus: nisi etiam eum qui maledictis falsò excogitatis, Reges nostros, gentémque Gallicam vniuersam proscindere conatur, malè à Cæsare, & à Rege Catholico plectendum speraremus. Certè vel ex eo pœnam à suis dominis exigendam incurrit; quòd in eorum causa præuaricetur actor Regius, & qui pro veritate ex officio stare debuit fiat mendacij, & calumniæ non solùm inuentor parùm industrius, sed & discordiæ impius incentor, bellíque importunus buccinator.

Vt ad negotium pacis vnde digressi sumus redeamus, constétque apud omnes qualis sit Gallorum animus erga quietem orbis Christiani, & suam, Legati Gallici Monasterium ante duos annos conuenerunt ferè omnium primi: iis præfectus ab anno Dux Longauillanus, Princeps in armis strenuus, in negotiis industrius, quem Germania vidit exercitibus fortiter imperantem, nunc audit consiliis pacis sapientissimè præsidentem. Qui illi adsunt oratores nostri vt genere clarissimi, sic sedatissimis moribus præditi, comitate Gallica conspicui, & insignis eruditionis, & prudentiæ viri, quibus tantum negotium meritò committi debuit. Nonnullorum verò Principum Legati, vt scitis diutiùs expectati. Argumentum est etiam nos ad pacem accedere, cùm nostri suis litteris eos quorum intererat adesse, non inuitarunt modò, sed incitarunt, sed vrserunt: cùm etiam mandata, & eos quos suo vocabulo saluos-conductus appel-

lant; non solùm amicorum precibus; sed & inimicorum ingeniis accommodauimus.

Nec nos hîc atteximus, quid in aduersariis desideratum: cùm non sit animus animos quos conciliari cupimus proritare, & in crimen Monitoris incurrere turpissimum existimemus. Hic causæ, quam suscepit frigidus efficitur patronus; cùm ex eo demonstrare contendit, Principes Austriacos ad pacem coniunctis studiis conspirare: *Quòd Heluet icas ditiones, Burgundicum, & Vuittemburgicum Ducatus, Matisconensem Comitatum non repetant. Quòd olim in Italia cesserint Sienna, quòd nuper in Germania Lusatiam concesserint.* Hæc quàm friuola sint hac præcipuè tempestate iudicent cordati; & statuant nullum vnquam scriptorum maiori suis partibus, nullum aduersis minori detrimento fuisse.

Is cùm omnia quæ effudit, non ex propria; sed ex aliorum debuisset opinione ponderare; consilia sua præcipiti festinatione sibi in ignominiam vertit; cùm ab iis non abstinuit contumeliis, quæ nemini dedecus nisi auctori pepererunt: plerumque enim accidit; vt qui sibi nimium sapit, cæteris desipere videatur. Nec explicationi locum reliquit qui totus est error, nec spem sanitatis fecit, qui totus est morbus. Quamquam malè se habet liber, qui sine Apologia non defenditur, pessimè tamen cum illo agi reor, qui ne locum quidem relinquit Apologiæ. Vereor ne mihi ad il-

lam ſit confugiendum; ſi exiſtiment aliqui me ſapientis, aut eruditi nomen mihi facere voluiſſe, inſipientem, & ignarum hominem conuincendo; quaſi aliquid cum eo vellem experiri iudicio, in iis quæ in controuerſiam non cadunt. Dicam quod ſentio. Scripſi nec inter ſummos, nec inter infimos Gallorum; vt intelligeret tenebrio in noſtro Pritaneo non vnam ſed plures lampades eſſe, quæ hominis cui nomen *Obſcurus* obſcuriores artes luce publicâ detegerent, Galliæque noſtræ ciues, & ſocios iucundo ſplendore perfunderent. Volui etiam ſcurræ verboſulo, aliiſque qui eius exemplo nobis aures obtundere vellent; vt ſe in Galliam dicacitate commendarent, ſilentium imponere; ne paci, quam omnes boni optamus importuniùs obſtrepant, vel cicadæ, vel anſeres.

Sicut ad ingratas voces aures obſtruimus, ita curſim, preſſiſque naribus præterimus teterrimam Mephitim neſcio quorum lurconum, qui nuper in ſympoſio, non collatis eruditis ſymbolis; ſed congeſtis impuris egeſtionibus confecere, aut potiùs infecere Bibliothecam, quam Galloſuecicam inſcripſerunt. Cui benè inſtituto ſtomacho non moueant nauſeam tam ſordida commenta, tam fæculenta dicteria, tam virulenta non volumina; ſed volutabra? Certè in hanc colluuionem confluxit quicquid in Galliæ Reges, & gentem conuomere potuit maledicentia; eo conſilio, vt omnibus Gallis iniuriam, aliquibus inuidiam, non-

nullis etiam ſacroſanctis perſonis periculum exhalaret. Profectò ſi aduerſarij noſtri, rationibus non conuitiis, argumentis non ſcommatis agere vellent, nequaquam expoſuiſſent in pacis comitiis portentoſum illum fœtum; nec omnem nauaſſent operam, vt per totam Europam circumferretur nouum id monſtri genus, quod cùm primùm in ſuſceptorum effuſum eſt ſinu ab illis damnari tenebris debuit ſempiternis. Neque nos eiectitium hunc, & informem partum, ſtercore, & ſanie maceratum, ſcrutorum in fimo conquiſitis, rudique filo contextis aſſumentis, & centonibus obuolutum nudabimus; ne peſtiferis impreſſionibus aër quem ducimus conſtupretur. Satis erit ſi annotemus, eos qui armis inferiores, calamis imbellibus Galliam ita laceſſunt; vt non dubitent illius Imperium nuncupare Turcicum & Tyrannicum, à pacis inſtitutis auerſos animos in ipſo pacis conuentu gerere. Id etiam pro comperto haberi volunt; dum in eorum mores, & ſalutem inſurgunt, qui ſi publicis diſpendiis priuatam iniuriam vlciſci vellent, longiùs à pacis ſtudiis tantis pulſati contumeliis recederent: Sed viri cordati ſpernunt quæ ſpreta exoleſcunt, & verè Chriſtiani ea facilè condonant, quæ vindicata Chriſtianorum producerent calamitates. Harum cùm non ſint auctores, & optent eſſe compoſitores, qui maledictis impetuntur, quod crimen eſt? Imò quæ virtus non eſt? ſi efficere velint,

lint, vt æquis conditionibus vniuersæ Europæ diuturna securitas concilietur, & Galliæ, cui potissimùm consulunt sua stet parta bello gloria.

Quod postremum monebo, insanire omnes, qui existimant libellis, vel turbari, vel superari posse Galliam, Regi suo singulariter addictam, nec minus calamis quàm gladiis metuendam? Quid enim non excogitarent, disponerent, & promerent micantia, fœcunda, & erudita Gallorum ingenia; si litterario certamine aliquid decernendum esset, aut si in dicacitatem illudentium allusionum seria verti oporteret. Quas etiam non instrueremus Bibliothecas, si ex iis omnibus quæ in nostris aduersariis desiderantur consarcinandas susciperemus? Stultus ergo planè agendi modus est, antithesibus, & parallelis Latinis proritare gentem illam; cum qua nulla vel de acumine, vel de Latinitate possit contendere.

Cæterùm Domini Assessores, id est postsessores, aut vt vestri iuris vtar vocabulo Antecessores, qui libellos vel editis, vel edi curatis, vel clam editos palam spargitis; vobis licet ad conuitia, & scurrilia, quod muliercularum & nebulonum est confugere, dum seriò Galli rem suam agent consiliis, & viribus, quod virorum prudentium, & fortium. Si fatua garrulitas magnis conatibus obicem figit, & aggerem opponit; non decem paginarum, ventis futura ludibrium iniicienda est Bibliotheca; sed excitanda tanta moles librorum

quanta exarsit olim Alexandriæ: adhuc illam eadem alacritate qua vestra superare solent propugnacula, prætergredientur Galli; quibus aperto Marte vos vrgere tam gloriosum, quàm vobis indecorum præclaris facinoribus mala verba reponere. Sed credo, noluistis cruentorum in Europæ amphitheatro certaminum spectatores sine risu dimittere; cùm vltimo loco scriptores Andabatas immisistis.

Hæc, & eiusmodi propudia nobis non licet vel audire, etiam pluribus turpe est defendere. Minutius Fœlix in Octauio.



